SACRAM MEMORIAM
REGIS SERENISSIMI
DIVI
FRIDERICI GVILELMI III
VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE
CONDITORIS MVNIFICENTISSIMI

AB EADEM VNIVERSITATE DIE III MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCXC

HORA XI

PIE RECOLENDAM

VICTORVMQVE RENVNTIATIONEM E LITTERARVM CERTAMINIBVS PRODEVNTIVM

EX AVCTORITATE RECTORIS ET SENATVS

INDICIT

CAROLVS ADAMVS HENRICVS KELLNER
ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM H. A. DECANVS

INEST EIVSDEM DISSERTATIO: CHRONOLOGIAE TERTVLLIANEAE SVPPLEMENTA

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

CHRONOLOGIAE TERTULLIANEAE SUPPLEMENTA.

PROOEMIUM.

De Tertulliano quidquid novimus, soli fere Hieronymo debemus, qui eius vitam brevissime conscriptam Catalogo virorum illustrium inseruit. Si quid ultra optamus, Tertulliani ipsius libros, perscrutemur oportet. Neminem enim, qui in iis vel obiter versatus sit, fugiet, eos artissimo et multiplici nexu cum vita cohaerere, quum aliis persecutorum animi demulceantur, alii adversus haereticos illius temporis conscripti, alii ad erudiendos fideles et catechumenos apti sint, aliis vitia tum grassantia castigentur. Ita factum est, ut rerum tam in vita privata autoris quam in republica illo tempore gestarum passim in iis mentio fiat, variique casus, qui vel in urbe Roma vel in civitate Carthaginiensi acciderunt, in sermone strictim attingantur.

Eos porro locos, qui ad tales casus aut eventus respiciunt, ad investiganda tempora, quibus singuli libri conscripti sunt, valde utiles immo necessarios esse nemo est qui nesciat. Quae quum ita sint, ei, qui quo tempore singuli Tertulliani libri scripti sint, funditus perscrutari studet, duae simul provinciae sunt suscipiendae. Primum ista indicia et quasi vestigia temporis ad unum omnia investigare et colligere debet, deinde vero recte ea interpretari. Bene autem intelligi non possunt, nisi historia aevi Severiani quam accuratissime perspecta et explorata.

Historiae Severi imperatoris accuratius conscribendae, temporibusque quibus quidque factum sit, perquirendis his duobus decenniis plures viri docti incubuerunt[1], e quorum laboribus maximum me in hac re fructum percepisse gaudeo. Partem quidem horum

---

[1] Hoefner M. J., Untersuchungen zur Gesch. des Kaisers L. Septimius Severus und seiner Dynastie, Giessen 1872—75.

Duruy N., Septime Sévère. Vide Revue historique t. VII. section II pag. 241—315, Paris 1878.

De Ceuleneer Ad., Essai sur la vie et le règne de Septime Sévère. Mémoire couronné par la classe des lettres de l'academie royale. Bruxelles 1880, t. XLIII, part. II, pag. 1—314.

Fuchs Dr. K., Geschichte des Kaisers L. Septimius Severus, Wien 1884, Konegen's Verlag.

Wirth Albr., Quaestiones Severianae. Dissert. hist. Bonn. Henrico Nissen dedicata Bonnae 1888.

fructuum iam alii mihi praeripuerunt, Bonwetsch, vir admodum doctus, et Noeldechen scriptorum Tertullianeorum sagacissimus perscrutator[1]. Attamen racemationem quandam illi mihi reliquerunt, quam faciendi hic dies perquam sollemnis occasionem faustam diu optatam mihi praebet.

Haec praefatus, in prosequendis his rebus eam viam sequar, ut quae de chronologia Tertullianea vel a memetipso vel ab aliis recte iam disputata videntur repetam, reliqua corrigam, quaedam vero nova haud spernenda, opinor, addam.

I.

Librum 'de pallio' aestate anni 193 p. Chr. a Tertulliano scriptum esse, evincitur.

Ad stabiliendum ordinem chronologicum vitae et scriptorum Tertulliani eum libellum, qui inscriptus est 'de pallio', valde utilem esse, omni vi contendo. Insunt enim duo loci praestantissimi, qui temporis, quo scriptus sit, certissimam notam exhibent.

Quorum locorum alter, quo Tertullianum formam reipublicae illo tempore vigentem descripsisse, viri docti ad unum omnes consentiunt, legitur cap. 2: *„Quantum reformavit orbis saeculum istud! Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente!“* Ex his verbis intelligitur, istum libellum tunc maxime conscriptum esse, quum imperium Romanum tres Augustos et tres imperatores habebat, quod quidem eo temporis spatio, quo Tertullianus scriptor ecclesiasticus florebat, bis evenit.

Tres esse Augustos et imperatores orbis primum mirabatur anno p. Chr. 193, mensibus Aprili et Maio. Occiso enim a praetorianis M. Helvio Pertinace, viro antiquae strenuitatis, qui perditum reipublicae statum in pristinum restituere studuerat, Didius Iulianus, senator sexagenarius, auctione venale imperium sibi emit die IV. a. Cal. Apr. pollicitus dare singulis militibus aureos 250. Hac conditione ab illis in imperium subrogatus a Senatu perterrefacto tandem confirmatus est. Populus autem Romanus haec indigne ferens Percennium Nigrum, qui tum exercitui Syriaco praeerat, advocavit, ut rempublicam in meliorem formam redigeret[2]. Dum haec Romae geruntur, L. Septimius Severus, dux exercitus Pannonici, a militibus Carnunti imperator appellatus est. (Idibus

[1] Bonwetsch G. R., Die Schriften Tertullians nach der Zeit ihrer Abfassung, Bonn 1878. Noeldechen Prof. Dr. E., Die Abfassungszeit der Schriften Tertullians, Leipzig 1888. Reliquorum autorum tam veterum quam coaetaneorum, qui de vita Tertulliani scripserunt, sententias, quas bene novi, in hac nostra dissertatione mere chronologica afferre et discutere superfluum mihi videbatur. Idem de scriptoribus rei litterariae dicendum est.

[2] Dio 73, 13, 5. Ut . . . illi [Nigro] feliciter optaretur, illum principem superi et illum Augustum populus acclamaret Spart. Pesc. c. 2, 2, cfr. c. 12, 3.

Aprilis). Severus, rei militaris peritisimus, nomen Pertinacis, qui bonis omnibus desiderium sui reliquerat, sibi imposuit, eiusque necem se ulturum promittens, statim cum exercitu contra Iulianum ut hostem proficiscens, senatu ipso invito, imperium arripuit. Cum Clodio enim Albino, duce exercitus Britannici, cui senatus maxime favebat, Severus, vir pollens consilio atque prudentia, paciscebatur, eique Caesaris nomen atque honorem obtulit[1]. Albinus, licet ab exercitu Britannico imperator appellatus, eo honore contentus erat et in Septimiorum familiam adoptatus in Britannia mansit neque ante initium anni 196 Augusti nomen arripuit.

Itaque tres in republica praecellentes viri eodem fere tempore rerum potiti Augusti et imperatores appellati sunt, cuius rei nuntius quam celerrime in universum orbem atque etiam in Africam delatus est. Quantam hoc factum singulare et memoratu dignum admirationem ubique terrarum moverit, ex illo Dionis loco maxime intelligitur, quo tres circa solem stellas apparuisse narrat, quum Iulianus natale imperii celebrans ante curiam sacrificavit, quod Dio, ut assolet, ostentum eius rei esse duxit[2]. Neque praetereundum videtur, quod Spartianus narrat: „*Vates Apollinis Delphici, quum nuntiaretur, tres esse imperatores Severum, Nigrum, Albinum, consultus, quem expediret reipublicae imperare, versum Graecum huiusmodi fudisse dicitur*: *Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus*“[3].

Illos tres viros imperatores sese et Augustos appellasse non solum scriptorum testimoniis verum etiam inscriptionibus nummorum, quos illi cudebant, confirmatur. In nummis enim Iuliani legitur IMP. CAES. M. DIDIVS SEVER. IVLIAN. AVG.[4] in nummis vero Pescennii IMP. C. PESC. NIGER. IVST. AVG.[5] Severum autem eosdem titulos sibi imposuisse, nemo est qui neget, quum numismata primi anni eius i. e. anni 193 hanc inscriptionem habeant: L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP.[6]

His igitur testimoniis et nummis satis probatum est, orbem anno 193 tres imperatores et tres Augustos habuisse, praeter unum Caesarem, Clodium dico Albinum. Atqui concedendum est, idem Severo imperante iterum accidisse annis 209—211. Victis enim et interfectis adversariis omnibus, Severus filiis suis summos in republica honores contulit. Caracalla maior natu, Antonini nomine ornatus, ante Cal. Iulias anni 196[7] Caesar creatus a Senatu honore imperatorio auctus, aestate anni 198 a patre nomen Augusti i. e. consortium imperii obtinuit, Geta vero pariter Caesar, deinde anno 208 exeunte Augustus factus est, eumque imperatoris nomen inde ab anno 205, quo consul designatus est, habuisse, nummis eius probatur. Quare non est negandum, imperium Romanum tres Augustos et tres imperatores iterum sub Severo habuisse inde ab anno 208 usque ad obitum Severi.

---

[1] Capitolinus, Clod. Alb. c. 7 et 10.
[2] Dio 73, 14.
[3] Spart. Pescenn. c. 8.
[4] Cohen, descr. hist. des monnaies etc. Ed. II t. III pag. 398 seqq. Nomen SEVER in nummis Iuliani nonnunquam desideratur.
[5] Id. ibid. pag. 404 seqq.
[6] Id. ibid. t. IV pag. 9, no. 56. 65. 66.
[7] Codex Iust. IV 19, 1. Fuchs pag. 58 et 69.

Sed redeamus unde egressi sumus, ad verba Tertulliani supra laudata! *Praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente. De pallio* c. 2. Quae verba si sola considerantur, ambiguum erit, utrum ad a. p. Chr. 193 an ad annos 209—211 referenda sint, et, ut Tertulliani verbis utar, funem contentiosum pari nisu hinc inde trahemus, donec aliud argumentum proferatur. Latet autem argumentum, quo lis facile dirimitur, in iis verbis, quibus autor cives Carthaginienses initio alloquitur: „*Gaudeo vos tam prosperos temporum, cum ita vacat ac juvat habitus denotare. Pacis haec et annonae otia. Ab imperio et a coelo bene est*“ cap. 1.

De vi ac ratione verbi *pacis* postea rationem reddituri sumus, simulatque indicium temporis, quod in verbis: *annonae otio* latet, enucleaverimus.

Messium ubertas et annonae vilitas, quae coeli aërisque temperiem naturaliter consequuntur, e numero eorum bonorum eventuum erant, quorum memoria per inscriptiones nummorum imperatorum posteris tradebatur. Inspectis igitur nummis aevi illius, videmus, messem uberem et annonae vilitatem inscriptionibus nummorum anni p. Chr. 193 celebrari, tam in nummis Severi eiusque Caesaris, Clodii Albini, quam Pescennii adversarii eius. Quare non est dubium, non solum occidentem sed etiam orientem ubertate et vilitate annonae perfructum esse.

Legitur enim in illis nummis: SAECVLO FRVGIFERO aut CERERI FRVGIFERAE, pars vero altera symbolis idem significantibus ornata est, nempe Cereris effigie, cornucopiae, manipulis. Talia numismata ex. gr. sunt haec Severi: IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. cum inscriptione: SAEC. FRVGIF.[1] Aliud numisma habet inscriptionem: SAECVLO FRVGIF. TR. P. S. C.[2] ex qua apparet, illud anni 193 esse. Clodii Albini quoque nummi non pauci eandem inscriptionem habent ex. gr. D. CLO. SEP. ALBIN. CAES. et in altera parte SAECVLO FRVGIFERO COS. II[3].

Similem inscriptionem nummi Pescennii Nigri prae se ferunt, scil. IMP. CAES. C. PESC. NIGER IVST. AVG. COS. II in altera parte CERERI FRVGIF.[4] Pescennium quidem bis consulem fuisse constat, prioris autem consulatus tempus ignoratur, alterius non item. Constat enim iterum eum consulem factum esse, a. p. Chr. 185 isque consulatus secundus in omnibus eius nummis appositus est. Tribuniciam vero potestatem nunquam habuit; quare, quo anno eius nummi percussi sint, utrum 193 aut 194, per se definiri nequit. Quum vero constet, Severi nummos inscriptione: *Cereri frugif.* ornatos omnes anno 193 percussos esse, non ambigitur, etiam Pescennii nummos tales eiusdem anni esse. Ideo improbanda est opinio viri cl. Eckhel, qui nummos Severi illa inscriptione ornatos in honorem eius percussos et emissos esse putat. Dicit enim, hunc imperatorem eximia cura rei frumentariae providisse, ita ut urbs Roma nunquam inopia laboraret[5]. Quod quidem negare nolumus, sed quum Pescennius eadem inscriptione usus sit, certum est.

---

[1] Cohen l. c. IV pag. 65 Nr. 620 et 621.
[2] Ibid. Nr. 637.
[3] Cohen l. c. t. III pag. 421 seqq. Nr. 65—72. Duruy l. c. pag. 251.
[4] Cohen t. III pag. 406 nr. 12—14 et 19.
[5] Eckhel de doctr. num. VII. II pag. 162 et 169.

eum aliam caussam id faciendi non habuisse praeter ubertatem messis anni 193, occasione urbi Romae commeatum subministrandi Pescennio nunquam oblata[1].

Etiam in nummis anni p. Chr. 196 eadem inscriptio cum iisdem symbolis occurrit, quae res certissimum indicium est, etiam illo anno messem fuisse opimam. Sed ut illo anno libellum de pallio scriptum esse censeamus, illud indicium non sufficit, quia tum duo solummodo Augusti erant, Severus et Albinus, Pescennio Nigro interemto iam anno 194 exeunte. Annos vero 209—211, ad quos plurimi inprimis Bonwetsch et Noeldechen libellum de pallio detrudunt, unam habere notam temporis concedo, alteram nego, quia messis ubertas neque nummis illorum annorum laudatur neque aliter probari potest.

Ambae autem temporis notae a nobis inventae in unum annum conveniant necesse est, quod quidem optime competit anno 193 p. Chr. qui et messis ubertate et numero terno imperatorum insignitus est. His caussis permotus libellum de pallio in annum 193 p. Chr. reiicio et aestate eiusdem anni scriptum esse censeo.

Sunt denique viri docti, qui huic anno vel anno 196, qui Pamelium arrisit, annos 209—211 praeferendos esse putent ea de caussa, quia Tertullianus in isto libello de pace et felicitate temporis multa verba faciat. Sed videamus, quomodo de pace loquatur! Quasi cothurnatus dicit: *Revera orbis cultissimum huius imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitates et cacto et rubo subdolae familiaritatis convulso et amoenus super Alcinoi pometum et Midae rosetum.* Ibid. c. 2.

His aliisque locutionibus insolitis et arcessitis et quaesitis quum autor nimium usus sit, persuasum habeo, totum istum libellum satiram et paucissima eorum quae proferuntur serio dicta esse. Verumtamen illum locum cap. 2, supra allatum ut recte interpretemur, ad ironiam confugere opus non est. Quamvis enim totus fere orbis Severo imperante per decem annos bellico furore exarserit, Africanae provinciae semper pace fruebantur.

Praeterea, quod ad primum Severi annum attinet, Tertullianus libellum de pallio tempore pacis commode scribere potuit, antequam bellum inter Severianos et Nigrianos exarsit. Severus enim cum adversariis dimicaturus Nonis Iul. anni 193 Roma profectus est. Eodem fere tempore Nigriani Byzantium occupaverunt, copiae autem adversariorum ante autumnum eiusdem anni non concursaverunt, primumque apud Perinthum praelium et id quidem leve autumno commissum est, atrox autem insequenti anno apud Cyzicum. Quare Tertulliano satis temporis erat, istas pauculas paginas conscribendi, donec pax erat, i. e. vere vel aestate anni 193.

Quia ergo libellus de pallio iam anno 193 scriptus est, omnium librorum Tertulliani quos habemus primus est, quod adhuc solus Pamelius vidit, qui quidem, ut supra dixi, minus recte eum anno 196 attribuit. Quum in fine eiusdem libri Tertullianus Christianum se esse profiteatur, hoc quoque compertum habemus, quo fere tempore religionem christianam amplexus sit.

---

[1] Hoefner pag. 127. Die Münzen des Severus aus d. J. 193 mit der Umschrift: Saeculo frugifero rühmen die Fruchtbarkeit des Jahres, nicht die Fülle der Getreidezufuhren. Duruy pag. 251. Sévère laissait derrière lui le senat en defiance, mais le peuple repu de fêtes et dans la joie d'une moisson abondante.

II.

Quo tempore et quo ordine Tertullianus libros apologeticos et cohortationem ad martyras scripserit, exponitur.

1. Libri duo ad nationes.

Disputaturi de tempore, quo libri ad Nationes duo scripti sunt, primum loquamur oportet de consuetudine quadam, quae apud populos antiquos vigebat, a nostris vero humanioribus moribus valde abhorret. Praelio enim confecto occisorum cadavera inprimis hostium non sepeliebantur honeste, sed spoliis exutis inhumata in locis, ubi pugnatum erat, in ludibrium et pabulum avibus et bestiis iacebant, ita ut haud raro cadavera hominum et equorum sparsa per campos post multos annos conspicerentur[1].

Hic mos antiquorum in memoriam revocandus et ante oculos habendus est, si ea verba Tertulliani quae nunc inprimis perpendenda sunt, recte interpretari volumus. Dicit enim in libro I ad natt. cap. 17: *Adhuc Syriae cadaverum odoribus spirant; adhuc Galliae Rhodano suo non lavant.*

Haec verba ad praelia, quibus Severus aemulos suos, Nigrum et Albinum, superaverat, spectare inter omnes interpretes constat.

Severus enim Pescennianis ex Europa et Asia repulsis, montem Taurum superavit et Ciliciam occupavit. Deinde vero mense Novembri anni 194 res ad ultimum dimicationis venit apud Issum, oppidum in confinio provinciarum Syriae et Ciliciae situm. Pescennius atroci praelio victus Euphraten versus aufugiens interemptus est. Sequenti anno i. e. 195 p. Chr. Severus Osrhoënen recepit et Adiabenos Arabesque fugavit, qua parta victoria nomen Parthici Adiabenici et Parthici Arabici sumpsit et paulo post deposuit. Anno 196 Samaritanis et Iudaeis domitis bellum contra Albinum suscepit. Exercitus Severianus, itinere per Asiam et Illyricum summa cum celeritate peracto, hostem apud Rhodanum invenit et immensi clade conflixit die XI a. Cal. Martias anni 197 apud Trinurtium, oppidum haud procul a Lugduno ad Rhodanum situm.

Videmus ergo, his annis 195—197 tam in Syria quam in Gallia vehementissime pugnatum esse. Verumenimvero non est silentio praetereundum, Severum iterum id est anno 197 exeunte et anno 198 in oriente belligerasse. Sed eo tempore non tam Syria quam Mesopotamia et Parthia belli sedes erant. Quodsi quis, Iudaeos iterum tunc a Severo domitos et punitos esse, dixerit, respondebo, Iudaeam illo tempore partem provinciae Syriae non fuisse, quippe quae et ipsa post annum 70 p. Chr. provincia constituta sit.

Deinde Tertullianus in libro ad Natt. I 17 bella in Syria gesta primo loco memorat, pugnas in Gallia commissas secundo. Quare eius verba ad bellum Syriacum anni 194 respicere persuasum habeo.

---

[1] Vide, quae Herodotus Histor. III 12 de praelio apud Pelusium commisso et Tacitus Ann. I 62 de clade Variana narrant.

Quae quum ita sint, librum primum ad nationes, in quo iste locus invenitur, paullo post praelium Lugdunense scriptum esse opinor. Dicit enim Tertullianus: *Galliae Rhodano suo non lavant*, quod ita interpretor: campus, ubi praelium illud commissum est, Rhodani undis nondum est purgatus et mundatus, id quod commode fieri potuit tempore verno, quando fluvii aquis largius ex montibus prorumpentibus, terminos suos transgredi solent.

His caussis adducor, ut libros ad nationes aestate anni 197 compositos esse censeam. Quae vero adversus hanc sententiam proferuntur[1], nullius momenti habeo atque refutare eo facilius hic supersedeo, quum ab aliis[1] iam satis refutata videantur et iis, quae supra dicta sunt, obtusa esse putem.

2. Apologeticum.

A libris adversus nationes conscriptis ad librum apologeticum progrediens haud dissimilis nautae videor esse, qui postquam, intra fluminis ripas navem suam gubernans, ubi deflectendi a recto cursu periculum non est, sine timore et sudore ad fluminis ostium quo tendebat pervenit, relicto tandem flumine in oceanum vastum, fluctibus aestuantem et procellis agitatum evehitur. Nam quasi pelagi aestibus et turbinibus obiectus est, qui quantum homines eruditi de tempore, quo hic liber scriptus sit, inter se discrepent, secum reputat.

Sed non est, cur desperemus. Nam si viri docti pristini temporis de hac re in valde diversas opiniones discedebant, non ipsorum vitium erat, sed inde eveniebat, quod historia Severiani temporis non satis cognita et explorata tunc erat. Nos meliore utimur conditione, quoniam historia illius temporis accuratius excussa meliusque iam descripta est, atque res gestae Severi et filiorum eius, eorumque natalia, victoriae, itinera in clarissima luce collocata et quoad tempora ferreis quasi vinculis et clavis devincta sunt.

Tempus, quo Tertullianus librum apologeticum conscripsit, eruere facillimum esset, si traditum esset, quo anno Severus leges Papias Poppaeas abrogasset. Nam abrogatis iis eum illico librum apologeticum edidisse, haec verba docent: *Nonne vanissimas Papias leges heri Severus constantissimus principum exclusit?* Apol. c. 4. Sed invidente Fortuna id tempus nobis aliunde non innotuit.

Exstant autem alii loci huic disquisitioni chronologicae perquam fructuosi. E quorum numero primus ille diligenter discutiendus erit, qui est de persecutione illo tempore in Christianos mota. Ex iis enim, quae Tertullianus Ap. cap. 44 et 50 profert, apparet, praesidem Africae Christianos proxime vexasse. Quaeritur ergo, utrum Severus edictum

---

[1] Vide Grotemeyer, Ueber Tertullianus Leben und Schriften. Mit einem Excurs über die Schrift ad nationes. Kempen 1863 u. 1865. Zwei Gymnasialprogramme. Autoris sententiam libros ad nationes ad annos 204—208 amandantis refutaverunt Bonwetsch pag. 19 seqq. et Noeldechen pag. 25—29.

suum, quo, ne quis Iudaeus neve Christianus fieret[1] prohibuit, iam tum promulgaverit necne. Quod negandum esse, mox videbimus.

Sed de edicto Severiano quin plura hoc loco dicam, facere non possum. „*In itinere Palaestinis*“ Spartianus illud propositum esse apertis verbis narrat[2]. Bello enim adversus Hatrenos, quibuscum infelici Marte anno 199 et 200 p. Chr. proeliatus est, finito, Severus in Syriam reversus Aegyptum visere statuit. Quod iter ita peregit, ut Palaestinam peragrans Aegyptum peteret, qua diligenter perlustrata atque integro ibi anno consumpto in Syriam rediturus navigationi se commisit (exeunte anno 201). Antiochiae una cum filio maiori Caracalla consul renuntiatus statim *in Syria consulatum* anni 202 *iniit*[3]. Quae quum ita sint, edictum illud, quo Severus Christianos fieri sub gravi poena vetuit, aestate anni 201 in Palaestina promulgatum est, quo promulgato fieri non potuit, quin illico populus Christianus acerbe vexaretur, quae persecutio proprie Severiana ab historicis dicta longe lateque diffusa aliquot annos insistebat. Eusebius quidem Caesariensis hist. eccl. VI. 2, 2 narrat persecutionem illam — Alexandriae — anno decimo Severi vehementer exarsisse, Laeto praefecto Aegypti. Annus vero decimus Severi, inde a Cal. Iun. 203 computandus, hoc loco aut minus accurate ab Eusebio positus est aut ad necem unius Leonidae, patris Origenis, quem Eusebius laudat, referendus.

Sed redeamus unde digressi sumus! Quodsi verbo Tertulliani, quae Apol. c. 44 et 50 leguntur, ad persecutionem Severianam anni 201 et sequentium annorum spectarent, Apologeticum librum post annum 201, scriptum esse appareret. Sed ad eam ista verba spectare nego. Nam legibus iam pridem vigentibus potestas magistratibus data erat, semper et ubique Christianos propter religionem accusandi, conquirendi, persequendi. Et plures quidem leges, vigebant, quae facultatem dabant sic faciendi, ex. gr. leges laesae maiestatis, leges contra magiam, contra religiones novas, contra sodalitia illicita ceterae[4].

Sed ut haec omittam, Christiani provinciae Africae illo tempore maiori in periculo versabantur. Severus, imperator novus, natione Afer, e civitate Lepti oriundus, Iuliano superato et interfecto statim copias in Africam miserat, eamque provinciam sine caede occupaverat[5]. Postea bello contra Pescennianos et Albinianos incepto, quum Severi exercitus victorias victoriis cumularet, tota provincia gaudio et laetitia exsultabat et quotiens bonus nuntius de victoria reportata adventabat, *quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebantur, quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nebulabantur, quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant*[6], *cives vicatimque epulabantur.* Sic tota civitas gaudio exsultabat.

Christianorum vero vix quisquam his epulis interfuit, immo documenta illa publicae

---

[1] Spart. vit. Sev. c. 17.
[2] Spart. Sev. 17, 1.
[3] Id. ib. 16, 8.
[4] Vide, quod scripsi de hac re in Kirchenlexicon Ed. II t. III pag. 230.
[5] Spart. Sev. 8, 7. Pesc. Nig. 5, 4.
[6] Tert. Apol. c. 35.

laetitiae in domibus eorum frustra quaesita esse, ex coniectura probabilissima colligi potest, approbante id vel etiam iubente Tertulliano, qui talia signa et symbola ethnicum quid sapere opinabatur[1]. Quanto autem maiori et quasi effrenato gaudio cives omnes sibi gratulabantur, eo magis illorum incuria et frigus improbabatur, praecipue a magistratibus partis Severianae. Hinc fieri potuit, ut Christiani, quamvis in aliis provinciis tranquille viventes, in Africa a praesidibus vexarentur et quasi rebelles punirentur. Quae quum ita sint, persecutionem illam, de qua Tertullianus in Apologetica loquitur, eandem habere, quae proprie Severiana dicitur, non est necesse.

His igitur stabilitis nihil obstat, quominus librum Apologeticum iam ante edicti Severiani promulgationem i. e. ante annum 201 scriptum esse putemus, quamquam alii aliter senserunt[2].

Isto nunc scrupulo evulso, venimus ad illum unum locum Apologetici, qui temporis praesentis notam impositam prae se fert. Cuius haec sunt verba: *Sed et qui nunc scelestarum partium socii et plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes* Apol. c. 35. Quae facta illius temporis hoc loco denotentur, colligi potest ex verbis praecedentibus: *Unde Cassii, Nigri et Albini?* Quum Cassii, qui iam tempore M. Aurelii rebellavit, fautores et plausores anno 198 vix ulli superessent istaque certe factio oblivioni iam dudum data esset, verba: '*Nigri et Albini*' scrutanda et premenda sunt iisque solis insistendum est.

Quanta enim crudelitate et pertinacia Severus in omnes adversarios suos saevierit, memoriae ab historiae scriptoribus proditum est. Neminem prorsus, qui Nigri et Albini partibus adhaeserat vel occulte faverat, inultum esse passus est, sed sive ingenita crudelitate sive consilio ductus, ad unum omnes e medio sustulit, ut filios suos etiamtum adulescentes regni haeredes redderet.

Quare non semel sed iterum iterumque et viri senatorio aut equestri ordine fulgentes et proceres provinciarum et cives Romani proscripti et necati sunt, qui novo et inaudito nomine insidiatores parricidales ab eo vocitabantur. Punivit autem vere severus vere pertinax non solum aemulos imperii eorumque cognatos et belli duces, amicos, fautores, verum etiam integris civitatibus eadem de causa iura diminuit.

Sed singula proferamus oportet, quae de hoc re memoriae prodita sunt.

Pescennio mense Nov. a. 194 in Syria interempto, Severus punivit eius asseclas in Syria consistentes, quantum potuit et pro temporum circumstantiis aptum videbatur[3]. E senatorio ordine eos, qui cum Nigro ducum vel tribunorum nomine militaverant, occidit, Antiochensibus multa iura ademit, aliasque civitates eiusdem partis multis iniuriis et damnis affecit. Viduae autem liberisque Pescennii tunc pepercit, in exilium eos egisse contentus.

---

[1] Id. de cor. c. 8—10, de idol. c. 15.

[2] Ex gr. Guil. Cave, cui verisimilius videtur, scriptum esse persecutione sexta circa a. 202, quo Severus aliquos Christianos fieri sub gravi poena vetuit. Hist. litt. script. eccl. t. I p. 42 ed. Genev. Quem refellit J. L. Mosheim vide Oehler Opp. Tert. III pag. 493.

[3] Dio 74, 8, 4—9. Spart. Sev. 9, 2—8.

Vehementius et crudelius atque in plures anno 197 saeviit, Albino, altero aemulo, in Galliis armis superato. Tunc enim eius viduam et filios trucidavit[1], Pescennii vidua filiisque paullo ante interfectis[2], deinde vero innumeram multitudinem hominum in Gallia Hispaniaque interemit, inprimis multos illarum provinciarum proceres necavit. E senatorum numero anno 194 nullum occisum refert Dio, unum solum interemptum narrat Spartianus[3], anno autem 197 multos necatos esse constat. Post victoriam enim Lugdunensem epistulae ad Albinum datae inventae sunt, quibus nomina nobilium Romanorum, qui eius partibus favebant aut amicitia cum eo coniuncti erant, Severo innotuerunt. Quare sexaginta quattuor senatores in iudicium vocati sunt, quorum pars maior absoluti, undetriginta vero ad supplicium missi sunt, inter quos Sulpicianus socer Pertinacis imperatoris. Insuper Cincium Severum, amicum suum, calumniatus est, quod se veneno appetisset, postremo Narcissum, Commodi strangulatorem, leonibus obiecit, cuius etiam Tertullianus, novis vetera miscens, meminit his verbis: „*Unde qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent? Unde qui armati palatium irrumpunt* — interfectores dicit Pertinacis — *omnibus tot Sigeriis atque Partheniis audaciores*“[4]. Plures etiam quam undetriginta senatores Spartianus, qui eorum nomina memoriae prodidit, illo tempore occisos esse scribit, quem quadraginta unum nominantem, tamen minus accurate scripsisse viri docti censent[5]. Utcunque res est, certe ingentem stragem fecit nobilium Romanorum, quae multo crudelior fuit, quam caedes anno 194 in Syria factae.

Hae neces et quasi proscriptiones omnes anno 197 factae sunt, easque verno et aestivo tempore perpetratas esse ex eo colligitur, quod autumno eiusdem anni Severus cum exercitu in orientem profectus est, ut sanguine civium largius effuso, sicut dicit Herodianus, tandem etiam hostes externos debellaret[6].

Navi appulsus exercitum statim orientem versus contra hostes duxit, Nisiben quam urbem Parthi eodem tempore obsidebant, pervenit Parthosque repulit. Huius victoriae anno 197 reportatae certissimum testimonium habemus, quod Severus bis in eodem anno imperator appellatus est, nonum post praelium Lugdunense, decimum victis eodem anno Parthis.

Itaque hostibus summotis *in Syriam rediit*[7] ut se pararet ac bellum Parthis proximo anno inferret. Inter haec autem Perscennianas relliquias Plautiano autore persequebatur. Aliquot enim Perscenniani anno 194 aut latitasse aut ex eius manibus evasisse videntur, quos cum iis, quibus sive clementia sive prudentia ductus pepercerat, tunc deprehendit et interfecit.

---

[1] Iul. Capit. Clodius Alb. c. 5.
[2] Spart. Sev. 10.
[3] Spart. Sev. c. 9, 3. Dio Cass. 74, 8 et 9.
[4] Fuchs pag. 70.
[5] Tert. Apol. c. 35.
[6] Herod. III 9.
[7] Spart. Sev. 15, 3. Fuchs l. l. pag. 79 f.: recte monuit, inter primam et secundam expeditionem adversus Parthos tempus aliquod intercessisse, quo Severus naves aedificavit aliaque ad bellum Parthis denuo inferendum paravit. De Ceuleneer, virum ornatissimum id effugit. Cfr. pag. 115 seqq.

Easdem proscriptiones Tertullianus haud obscure denotat his verbis: *Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur post vindemiam racematio parricidarum.*" Apol. c. 35. Vindemiam enim dicit caedem illam largissimam anno 197 Albino victo factam, alteram vero, persecutionem Pescennianorum dico, qui isto tempore latitaverant aut fugerant, racemationi i. e. messi uvarum relictarum, haud illepide comparat.

Quaeritur nunc, quando haec ultima persecutio relliquiarum partium scelestarum facta sit? Quod facile est invenire. Vidimus enim, autumno anni 197 Severum bellum contra Parthos gessisse, deinde in Syriam hiematum rediisse. Isto sine dubio tempore, quo exercitus in Syria hibernabat, inimicos conquisivit et punivit, quod paullatim et pedetemptim exeunte anno 197 et incipiente 198 factum est. Unus deinde alterve mensis largiendus est, quia tanto temporis spatio opus erat, ut nuntii harum rerum Africam pervenire possent. Hinc efficitur, ut librum Apologeticum, in quo Tertullianus eius rei mentionem facit, non ante ver aut aestatem anni 198 scriptum esse putem[1].

3. Ad martyras.

Quae de rebus gestis Severi imperatoris supra diximus, etiam ad aetatem libelli ad martyras dati inveniendam sufficit, quia in eius epilogo partis cuiusdam earum caedium, quas Severus perpetravit, a nobis supra fuse enarratarum, mentio fit. Hoc enim libello autor id agit, ut Christianos in carcere detentos corroboret et ad ipsam mortem tolerandam cohortetur. Quod ut perficiat, eos ad exempla tot tantorum virorum nobilium provocat, qui eodem prorsus momento *hominis caussa* idem patiebantur, quod nonnulli martyrum *Dei caussa* pati dubitabant. *Ad hoc quidem,* ait, *praesentia nobis tempora documenta sint, quantae qualesque personae inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referunt hominis causa, aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis eius, si pro eo steterint*[2].

Qui historiam Severi novit, haud ignoret, ad quod factum haec verba respiciant. Quum eos viros, qui supplicio affecti sunt, natalibus et dignitatibus et aetatibus Tertullianus splenduisse dicat, nobilissimos eos fuisse apparet. Severum autem caedem in-

---

[1] Praeter hoc indicium temporis alterum invenisse vir sagacissimus Noeldechen sibi visus est. Tertullianus enim Apol. c. 35: *Ipsos Quirites,* ait, *ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat lingua Romana? Testis est Tiberis et scholae bestiarum.* Quae verba Noeldechen ad id, quod Dio 74, 4 narrat referenda esse censet: populum Romanum vocibus procacibus bellum adversus Albinum improbasse in Theatro [quod Noeldechen Tiberi proximum fuisse putat]. Hoc factum est anno 196, quum Severus contra Albinum proficiscens Romae per breve tempus morabatur (Dec. 196 Ceuleneer pag. 98; cfr. Friedländer, Sittengesch. Roms, VI Ed. t. II pag 305). Sed Tertullianus generaliter, ut ita dicam, de audacia loquitur, qua vulgus Romanum, quotiens impune fieri potuit, contra Caesares grassabatur. Cfr. Friedländer l. c. pag. 302—305. Quare hoc indicium temporis, quamvis non plane reiiciendum, fructum tamen mea quidem sententia non affert ad eruendum tempus, quo Tertullianus librum Apologeticum scripserit.

[2] Ad mart. c. 6.

gentem nobilium Romanorum Albino victo fecisse, iam vidimus, inprimis senatorum, quia senatus *illum eximie amaverat*[1].

Quo anno id factum sit, iam demonstratum est, hoc loco ut tempus etiam accuratius definiatur, affero quod Spartianus refert: *Ultus igitur Albinianam defectionem, interfectis plurimis* [Gallis dicit et Hispanis] *iratus Romam venit . . . et senatores infra scriptos occidit*[2].

Quo mense Severus Romam venerit, praecise statui potest, quum fundamenta satis firma nobis praesto sint, quibus calculos superstruere possumus.

Reportata enim victoria Lugdunensi Severus non illico Romam profectus est, sed in provincia remansit, quia bellum nondum erat compositum et finitum. Supererant enim in Hispania Albinianorum copiae, quibus L. Nonius Rufus legatus praeerat, earum partium studiosissimus. Quas copias ut debellaret, Claudius Candidus missus est, qui eas brevi tempore extinxit. Severum autem usque ad mensem Maium in provincia remansisse, ex eo coniicio, quod Nonis Maiis in civitate Lugdunensi pro eo eiusque familia taurobolium celebratum est[3]. Inde eum Calendis Iuniis[4] Romam advenisse, viri docti contendunt, ubi unum alterumve mensem moratus orientem versus profectus est.

Illas autem caedes ingentes, de quibus supra dictum est, tam provincialium quam senatorum Romanorum Severus, antequam Romam pervenit, perfecisse videtur, si verbis Spartiani fides habenda est, qui eum, quamvis foede in adversarios saeviisset, tamen post adventum alloquens senatum de clementia sua disseruisse narrat[5]. Quare eum illas caedes statim post victoriam Lugdunensem coepisse et ante Cal. Iulias perpetrasse puto.

Quibus de caussis persuasum mihi est, Tertullianum libellum ad martyras, in quo ista atrocissima facta, quibus orbis Romanus terrore perculsus est, memorat, vere anni 197 p. Chr. vel ut accuratius loquar, post victoriam Lugdunensem sed ante Cal. Iulias conscripsisse ipsumque martyribus Carthagine in carcerem vinculaque coniectis misisse. Omnia enim, quae loco supra laudato a Tertulliano dicta sunt, ad ver anni 197 optime quadrant etiam haec verba: *'aut ab adversariis eius, si pro eo steterint.'* Quamquam enim Albinus non eadem crudelitate atque Severus in adversarios suos grassatus est, tamen aliquot ex partibus Severi ab eo occisos esse, ex ipsa rei natura sequitur et Capitolini[6] testimonio confirmatur.

---

1 Capit. Clodius Alb. c. 12.

2 Spart. Sev. 12, 9.

3 Hoefner, Untersuchungen pag. 216.

4 De Ceuleneer pag. 111 et 114.

5 Spart. Sev. 12, 4. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes civitatis, multae feminae inlustres fuerunt . . . tum et Hispanorum et Gallorum proceres multi occisi sunt . . . Ultus igitur Albinianam defectionem interfectis plurimis . . . iratus Romam et populo et senatoribus venit . . . Post hoc de sua clementia disseruit, quum crudelissimus fuerit et senatores infra scriptos occiderit.

6 Capit. Clod. Alb. c. 8, 3. Denique indulgens suspicionibus eos tormentis dedit.

4. Ad Scapulam.

Multo labore in perquirendo et magna diligentia in deliberando opus est, si tempus quo Tertullianus libellum supplicem ad Scapulam proconsulem miserit, eruere volumus. Etenim quia, quo anno Scapula provinciae Africae praefuerit, aliunde non innotuit, fere omnia ex interpretatione accurata unius alteriusve loci libelli ipsius pendent.

Plures autem sunt loci, quorum ratio habenda est cavendumque, ne, dum partem aliquam tuemur, reliqua deseramus.

Ac primum quidem vestigium certi temporis, post quod ille libellus scriptus est, invenitur in mentione *exitus Byzantini*[1] id est expugnationis urbis Byzantii, quam per tres fere annos exercitus Severianus obsederat, mense autem Iulio anni 196 p. Chr. cepit. Deinde vero post cladem Albini hunc libellum scriptum esse, indicant haec verba: *Nunquam Albiniani vel Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani*[2].

Tum de hoc loco disputandum videtur: *Ipse etiam Severus pater Antonini Christianorum memor fuit. Nam et Proculum Christianum, qui Torpacion*[3], *cognominabatur, Euhodiae procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit et in palatio suo habuit usque ad mortem eius. Quem et Antoninus optime noverat lacte Christiano educatus*[4].

Sunt, qui dicant, Antoninum a Tertulliano hoc loco memoratum Elagabalum, qui et ipse nomen Antonini sibi imposuit, non Caracallam vel Bassianum, Severi filium, esse intelligendum. Quae Scaligeri et Holstenii opinio plane reiicienda est, quia Elagabalus anno 205 p. Chr. in oriente natus, Proculum, qui in palatio Severi, ergo certe ante annum 211 p. Chr., diem supremum obiit, nosse omnino non potuit. Antoninus autem, Severi filius, natus anno 186 p. Chr., Proculum optime nosse potuit. Severum iam ante annum 197 nomen filii sui natu maioris nomine Antonini permutasse, nummi illius anni testantur[5].

Porro manifestum est, Scapulam eodem loco a Tertulliano, qui id agit, ut animum eius Christianis placet, ad exemplum principis eo ipso tempore imperantis provocari. Ea ratione ductus dicit Tertullianus, Severum necessitudinem aliquam habuisse cum Proculo, viro Christiano. Quare eos interpretes valde errare censeo, qui Severum eo tempore, quo Scapula Christianos persequebatur, iam mortuum esse putant. Parum enim mortui imperatoris memoria et exemplum ad Scapulae animum movendum mitigandumque profuisset.

Sed nunc maiora conemur! Venio enim ad locum principalem, ad quem recte interpretandum opem eorum, qui siderum cursus et motus numeris et rationibus persequuntur,

---

[1] Tert. ad Scap. c. 3. De tempore obsidionis consulendus est Wirth pag. 10 et 28.

[2] Tert. l. l. cap. 2.

[3] De origine et recta scriptione et vi huius nominis lege, quae affert Fr. Goerres Jahrb. für protest. Theologie 1878, pag. 300. Bochartus enim Torpacion e voce Punica Torpaeion corruptum putat, eamque nutritorem interpretatur.

[4] Tert. l. l. cap. 4.

[5] Cohen t. IV p. 160 nr. 148. 155, p. 159 nr. 142, p. 205 nr. 597.

implorare necesse est. Tertullianus enim in capite tertio quum de aliis malis naturae, quae pro prodigiis et portentis habet, tum de deliquio solis paullo ante facto loquitur, quod signum imminentis irae Dei esse putat. „*Et sol ille,* inquit, *in conventu Uticensi extincto paene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate ut domicilio.*"

Tertullianus hoc loco aperte loquitur de defectione solis prope perfecta et de tali, quam pro non ordinaria habuit, quia sol in suo „hypsomate" obscuratus est. Quae vox ante omnia recte interpretanda est, non vero neglegenda, sicuti quidam recentes autores fecerunt. Sidera enim in hypsomate esse dicuntur, quando summum locum, quem assequi possunt, transgrediuntur[1], quod sol quodammodo patitur omni die, quum meridie circulum meridianum transgreditur, verissime autem tempore solstitii aestivi dicitur sol in suo hypsomate esse. Eo enim tempore praesertim in regionibus australibus eum locum, quem nos vocamus zenith, tangere videtur.

Illa ergo eclipsis solis, de qua Tertullianus ad Scap. c. 3 loquitur quum talis esset, ut lumen solis paene extingueretur, valde magnam vel paene perfectam fuisse apparet et insuper eo tempore accidit, quo sol culmini vel summitati coeli quam proximus fuit, quod fit tempore solstitii aestivi et simul tempore meridiano. Quare nulla alia eclipsis admitti potest, quae aut parva fuit aut alio atque meridiano tempore accidit. Quae quidem indicia optime congruunt in eam eclipsin, quam astronomi die tertia mensis Iunii anni 197 factam esse asserunt.

Tertullianum per solis hypsoma nihil aliud indicare voluisse nisi „altitudinem verticalem solis ipso meridie culminantis", bene iam vidit Ruinartus[2]. Quodsi Tertullianus negasse videtur, eo tempore deliquium naturaliter fieri potuisse, in eo populariter erravit, impune, ut in arte aliena a studiis et professione sua. Hypsoma autem a Tertulliano definiri quasi *domicilium solis,* neque est mirum neque alienum ab usitata loquendi ratione neque opus est ad alias interpretationes subtiliores confugere quod ii faciunt, qui domicilium solis Arietem[3] vel Leonem[4], notissima signa zodiaci, significare volunt. Quae opiniones sunt futiles nullaque ratione fultae.

Sed, ut quam cautissime progrediamur, tabulas et computationes astronomorum perlustremus oportet. Quae quidem sex exhibent Severiani temporis eclipses solis Uticae conspicuas[5], quarum prima undecim digitos[6] lata, quae lucem diei maxime obtenebravit die mensis Iunii anni 197 p. Chr. paullo post meridiem, accidit.

---

[1] Passow, Handwörterbuch, ὕψωμα = hoher Stand bes. der Gestirne, interpretatur et affert locum Plut. mor. 782 ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον ὁ ἥλιος.

[2] Ruinart, Acta martyrum. Ed. Ratisb. p. 167.

[3] Lalovera ibidem apud Ruinartum, p. 167.

[4] Noeldechen l. l. p. 101.

[5] L'art de vérifier les dates. Ed. Paris. 1819 t. I depuis la naissance de J. Chr. p. 218, exhibet computationes, quas instituit Pingré S. I. Von Oppolzer, Canon der Finsternisse, Wien 1887.

[6] Astronomi latitudinem duodecim digitorum soli tribuunt.

Secunda valde exigua, quia unum digitum lata, accidit die XIV mensis Iulii anni 204 hora quarta pomeridiana.

Tertia erat die XIV mensis Maii anni 207 septem digitos lata, quae hora secunda pomeridiana solem maxime obscuravit.

Quarta valde parva duos digitos lata anno 209 die XVI m. Octobris Uticae paullo post meridiem conspiciebatur.

Quinta die II mensis Martii anni 211 paullo ante occasum solis accidit, quinque circiter digitos lata.

Sexta die XVI mensis Augusti anni 212 undecim quidem digitos lata sed summo mane paullo post ortum solis erat.

Aliae eclipses solis, quae tempore Severiano acciderunt, Uticae conspicuae non erant.

Ex hoc indice apparet, eclipsin secundam non esse talem, qualis hic requiritur, neque tertiam, quam nemo adhuc tenendam putavit. Ut de his et de aliis taceam, quas reiicere non est opus, viro cl. Wirth ea eclipsis maxime arrisit, quae 211 paulo post Severi mortem evenit. Sed quia vocem hypsomatis plane oblitus est, eius sententiam probare non possum. In Africa provincia vel Uticae cerni quidem potuit, sed hora quinta post meridiem i. e. paullo ante occasum solis, quare admitti non potest. Neque eclipsis anni 212, quam Noeldechen elegit, melius congruit, immo plane reprobanda est, quia summo mane finem habuit, ita ut Uticae vix aut ne vix quidem conspiceretur. Deinde quod idem vir doctissimus asserit, Severum imperatorem eo tempore, quo libellus ad Scapulam scriptus est, mortuum esse, id probare omnino non potuit[1].

Quae quum ita sint, nulla eclipsis illius temporis talis erat, qualem describit Tertullianus, excepta ea, quae anno 197 accidit. Itaque ei sententiae assentiri debemus, quae tenet, libellum ad Scapulam paullo post diem III mensis Iunii anni 197 esse conscriptum, Scapulamque proconsulem eodem anno provinciam Africam administrasse, in eaque sententia acquiescendum est, quantumvis sententiae communi adversetur[2]. Equidem

---

[1] K. Joh. Neumann, Der Röm. Staat und die allg. Kirche pag. 182 Nota 2, affert et quae Wirth et quae Noeldechen dixit, sed utrius sententia probanda sit, in medio relinquit.

[2] Quoniam verba Tertulliani ad Scap. c. 3 in eclipses anni 211 et anni 212 omnino non quadrant, aliquamdiu cogitabam de eclipsi anni 217 p. Chr. Quae quidem eclipsis, alibi perfecta et centralis (vide Oppolzer) Uticae etiam valde magna conspiciebatur, scilicet plus quam octo digitorum, sed quia ante meridiem i. e. circa horam septimam Uticae initium habuit, ne illa quidem convenit. Sic in contrarias sententias distractus virum spectatissimum professorem E. Schönfeld, speculae astronomicae Bonnensis praefectum, collegam amabilissimum consului, qui me humanissime audiens, re perpensa, respondit, verba Tertulliani optime convenire in eclipsin anni 197. Deinde demandavit me viro in his rebus versatissimo F. K. Ginzel, instituti regii Berolinensis a computationibus socio, ut qui iam pridem his rebus occupatissimus laborem calculos necessarios instituendi iam subierit. Quae res ita se habuit atque hic vir doctissimus omnia dubia solvit. En comiter et officiose mihi haec rescripsit. . . . „Ich habe die sämtlichen für Utika überhaupt sichtbaren Sonnenfinsternisse — sowohl centrale wie partiale — roh gerechnet und die halbwegs für Utika daraus als sichtbar hervorgehenden genau und zwar unter Einführung meiner empirischen Mondbahncorrectionen näher bestimmt. Danach ergibt sich folgendes:

Von den partiellen ist nur die vom 16. Oct. 209 mit 2″5 um $0^h 52^m$ Mittags in Utika sichtbar gewesen, von den centralen die folgenden:

difficiliter ab animo impetravi, ut huic sententiae consentirem, quia difficultates haud exiguae inde oriuntur, quae infra solvendae sunt.

Hoc igitur deliquium solis a Tertulliano in iis signis ponitur, quae eo tempore hominibus iniquis et incredulis, inprimis Christianorum persecutoribus, imminentem iram Dei minabantur. Iisdem in memoriam revocat imbres inundantes *anni praeteriti* et ignes, qui super moenia Carthaginis impendebant[1]. Universalem autem et supremam iram Dei, id est tenebras aeternas Tertullianus eo ipso deliquio solis extraordinario significari credit, quod accidit, quando proconsul Uticae conventum habuit[2].

Quamquam Tertullianus, a quo proconsule ille conventus habitus sit, non dicit, tamen non est dubium, quin Scapula ipse id fecerit. Quare eius proconsulatum in annum 197/98 removere non cunctor, eorumque opiniones, qui eum ad annum 211 vel 212 detrudendum esse putant, reprobo.

Alia testimonia, quae de Scapula eiusque proconsulatu plus lucis afferant — proh dolor — neque apud rerum gestarum scriptores neque in monumentis adhuc inventa sunt. Quare nescimus, ex qua gente Scapula ortus sit. Accedit, quod Tertullianus ceteris nominibus, quae viri nobiles Romani illo tempore quatuor habebant, omissis, cognomen eius solum exhibet. Ideo ne id quidem affirmare ausim, eum anno 195 consulem fuisse, quamvis verisimile videatur, neque id pro certo habeo, eundem esse, cuius nomen in Digestis occurrit, quem Marci Aurelii temporibus floruisse constat, quamvis huic opinioni nihil obstare videatur[3]. Denique si Tissotus titulum, cuius fragmentum C. I. L. t. VIII

---

*197 Juni 3. Maximum der Verfinsterung 11″ 01 um $0^h 53^m$
204 Juli 14. „ „ „ 1″ „ $4^h 16^m$ Nachm.
207 Mai 14. „ „ „ 7″ 2 „ $1^h 46^m$ „

*211 März 2 ist nur bei Sonnenuntergang sichtbar gewesen und zeigte im Moment des Sonnenunterganges noch die Phase von 5″ 37.

*212 Aug. 14. Maximum der Verfinsterung 11″ 17 um $4^h 56^m$ Morgens und zwar 42 Minuten nach Sonnenaufgang. Die drei mit einem Sternchen bezeichneten sind scharf gerechnet, die andern annäherungsweise. Die Maximalphasen sind in Zollen angesetzt (1″ = $^1/_{12}$ Sonnendurchmesser), die Zeiten sind wahre Sonnenzeiten.

Ich glaube, unser alter Struyck, von welchem ich nicht gut annehmen konnte, er habe die Tertullianische Stelle unbeachtet gelassen, hat Recht. Er setzt (Inleiding tot de allgemeene Geographie pag. 103) die Finsternis 197 Juni 3 und rechnet mit seinen damaligen unvollkommenen Mondtafeln für Utika $10^1/_2$″ Maximum Nachmittag. Er bezieht sich auch auf Scaliger, de emend. tempp. Praef. pag. LI und sagt, die Finsternis sei vor 202 zu setzen.

Da diese letztere Sonnenfinsternis auch nach meiner Rechnung ihr Maximum in Utika 53 Minuten nach Mittagseintritt hatte und über 11 Zoll gross war, so stimmt die Angabe Tertullians, die Sonne sei noch auf ihrer Mittagshöhe gewesen und es sei beinahe alles Licht der Sonne ausgelöscht worden, vorzüglich.

[1] Eos ignes Noeldechen l. c. pag. 100 idem fuisse, quod nos vocamus Nordlicht, haud inepte putat; spectaculum in Africa sane rarissimum.

[2] De conventu iudiciali loqui Tertullianum, bene monuit Noeldechen pag. 98. Cfr. Mommsen, Staatsrecht II 1 p. 219.

[3] Digg. I 18, 14. Divus Marcus et Commodus Scapulae Tertullo rescripserunt. Cfr. Capit. M. Aurel. c. 29. C. I. L. III 4407.

nr. 939 legitur, ad Scapulam nostrum pertinere putat, vir ille doctissimus in coniiciendo nimis audax est, quia in illo lapide mutilissimo[1] nomen Scapulae omnino non legitur. Itaque, quod valde dolendum est, plura de Scapula proconsule, qui anno 197/98 Africam provinciam administravit, ut supra dictum est, nobis non innotuerunt.

Quaestio quidem chronologica, quam discutiendam mihi proposueram, quamquam ad finem iam perducta videtur esse, facere non possum, quin a penso paullum digrediar. Nam quum in mentionem Scapulae proconsulis inciderim, non abs re videtur, de ceteris quoque proconsulibus, qui, quo tempore Tertullianus vixit, provinciae Africae praeerant, pauca dicere. Quod ut faciam, quum aliis de causis adducor, tum ut ex hactenus dictis fructus uberiores colligam, quandoquidem omnium scriptorum Tertulliani hic libellus unus ac solus est, cui quaedam ad historiam priscae ecclesiae Africanae pertinentia autor inseruit.

Incipio a loco illo celeberrimo, quo praesides Africae enumerantur, qui Christianos illius provinciae persecuti sunt. *Possumus, inquit Tertullianus, aeque et exitus quorundam praesidum tibi proponere, qui in fine vitae suae recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos. M . . . . . ius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit*[2].

Hoc loco nomen gentilicium illius praesidis, qui primus in provincia Africa christianos gladio persecutus est, iniuria temporum interiisse, valde dolendum est. Codices enim manuscripti nomina quidem exhibent, sed alii alia et libri editi perinde inter se differunt. Si ad codices manuscriptos recurrimus, codex Vindobonensis saeculi XV, quem Oehler Aφ signavit, habet: *Vigellius Saturninus,* codex Leidensis: *Ingellius Saturninus,* codices vero Vaticani saeculi XIII numeris 190 et 191 signati, quos ipse inspexi, habent: *M. Gellius Saturninus.*

Quae diversitas lectionum nos docet, formam nominis in omnibus codicibus esse corruptam. Huc accedit, quod neque Vigellianorum neque Ingellianorum gens inter eas familias reperitur, quae saeculo secundo tertioque in republica florebant. Inde factum est, ut viri docti hunc locum coniecturis sanare conati sint, ex. gr. Pamelius, qui coniecit *Valgius* et Fr. Iunius, qui posuit *Vitellius.* Sed oleum et operam videntur perdidisse.

Luce enim clarius est, nomina Vigellius et Ingellius esse corrupta atque ficticia, ideoque omnino reiicienda[3]. Restat sola scriptio codicum Vaticanorum notatu digna, qui quidem praeter agnomen, quod omnes pariter praebent, praenomen Marci (M) bene conservasse videntur.

Illum igitur proconsulem, qui primus Afros christianos persecutus est, nomen M. Saturnini habuisse constat. Deerat adhuc nomen gentilicium, quod *Aemilium* fuisse, his rationibus adducor, ut credam.

Extant tres tituli Africani M. Aemilio Macro Saturnino dedicati, quibus probatur,

---

[1] C. I. L. VIII 939 [Tert]VL[L]VS. V. C.

[2] Tert. ad Scap. c. 3.

[3] Nomen gentilicium Vigellianorum in indicibus C. I. L. frustra omnino quaeritur. Videtur autem forma haec alias inaudita orta esse ex Vigilius, vel Vicilius, quod raro invenitur. Gens Ingellia vero prorsus est ignota neque Romana.

eum a. 172 p. Chr. legatum Augusti et propraetorem provinciae Numidiae praefuisse[1] et filium eiusdem nominis habuisse, qui patrem in administranda provincia adiuvabat[2]. M. Aemilium Macrum Saturninum patrem paullo post, anno 174 dico, consulem suffectum fuisse, fastis consularibus docemur[3]. Quodsi ille anno 174 fasces gerebat, neque lex neque consuetudo obstabat, quominus anno 180 p. Chr. provinciae Africae proconsul praeficeretur.

Sed ultra progredior. Proconsulem Africae, qui anno 180 eam provinciam administrabat, nomen Saturnini habuisse, hodie non est opinio futilis aut mera coniectura, sed certo autore comperta. Eximia enim providentiae divinae benignitate prospectum est, ut optimus testis nobis innotuerit, versio Graeca martyrii Scillitanorum, qua reperta et edita vir ornatissimus Usener, omnis antiquitatis peritissimus, de historia ecclesiastica optime meruit. Qui testis, quamvis cetera nomina non praebeat, solo nomine Saturnini contentus, probat, hunc Saturninum non anno 200 vel 201, sicut autores nostra aetate superiores pro subsidiorum ratione opinabantur, sed anno 180 provinciam Africam administrasse. Porro, quum eum quoque proconsulem, qui primus in Africa gladium in christianos egit, nomen Saturnini habuisse, Tertullianus dicat, nemo adhuc id pro caeco Fortunae casu vel lusu habuit, sed omnes viri docti, iudicem crudelem, qui martyres Scillitanos capitis condemnavit, eundem esse putant atque illum, qui primus in Africa Tertulliano teste Christianos persecutus est.

Eum, e gente Aemilia ortum et M. Aemilium Macrum Saturninum vocatum esse, inscriptionibus supra allatis valde probabile redditur. Quae sententia mihi eo magis arrisit, quia gens Aemilia incredibilem numerum virorum clarorum, iureconsultorum et magistratuum reipublicae donavit[4]. Quorum clarissimus haud dubie ille iureconsultus fuit, e cuius libris sexaginta loci excerpti in Digestis leguntur[5], sed eundem esse atque illum, de quo hic agitur, afffrmare non audeo. Idem de Aemilio Macro praefecto praetorio, qui anno 202 aut 203 hortatu Plautiani a Severo necatus est, et de Saturnino consule anni 198, qui Gallum collegam habuit, dicendum videtur, immo quia Tertullianus Saturninum proconsulem Africae, primum persecutorem Christianorum ibi degentium, lumina amisisse narrat, verisimile est, eum a negotiis publicis esse remotum.

Silentio non est praetereundum, quaedam a viris doctis sumministrata esse, quae Vigellio proconsuli favere videntur. Inventus est enim paucis abhinc annis in Moesia inferiore lapis[6], qui hanc inscriptionem habet: *P. Vigellio Raio Plario Saturnino Atilio Braduano Aucidio Tertullo Leg. Aug. ordo Troesmensium ex decreto suo.* Quem Vigellium Saturninum, ingenti congerie nominum ornatum, de civitatula Troesmensi optime licet

---

[1] C. I. L. t. VIII. 4209 et 4210. Rénier inscr. Alg. 1418 et 1419. M. Aemilius Macer Saturninus Leg. Aug. Pr. Pr. . . . M. Aurel. trib. pot. XXVI = 172 p. Chr.

[2] C. I. L. t. VIII, 2731. Renier l. l. 40. M. Aemilio Macro Saturnino. M. Aemili Macri Leg. Aug. Pr. Pr. filio T. Valerius Rufinus Leg. III. Aug.

[3] Klein, fasti cons. pag. 79. Rénier l. l. nr. 39.

[4] Pauly, Realencyclopädie s. v. Aemilia.

[5] Rudorff, Römische Rechtsgeschichte I 198 seqq.

[6] Apud oppidum, quod vocatur Iglitza. C. I. L. t. III, 6183. Rénier, comptes rendus de l'acad. des inscr. et des belles lettres 1864, pag. 256.

meritum, in reliquo autem orbe Romano plane ignotum Bonwetsch et Tissotus sibi aucupati sunt [1], ut eum consulem et proconsulem Africae facerent, quamvis lapis nullam temporis notam praebeat. Qui ut circa a. 167 consul suff. fuerit et per tres annos, quod somniavit Tissotus, provinciam Africam rexerit, tantum abest, ut eius nomen, seriei proconsulum Africae sine ulla ratione insertum, potius omnino delendum sit.

Crudelitati Saturnini, Cl. L. Herminiani, Caecilii Capellae praesidum, Tertullianus capite quarto clementiam et humanitatem quorundam proconsulum provinciae Africae opposuit, qui de Christianis in iudicium vocatis cognoscere coacti aut dissimulaverunt aut iis, quid dicendum esset, ut absolvi possent, ipsi suggesserunt. E quorum numero erant Cincius Severus et Vespronius Candidus et Asper. Quae de eorum vitis et cursibus honorum apud historiarum scriptores et in monumentis inveniuntur, fere haec sunt.

Cincius [2] igitur Severus, qui Thysdri Christianis ipse dedit remedium, quomodo responderent, ut dimitti possent, eo anno, quo Commodus occisus est, senator et pontifex, in illum animo infesto erat. Atque etiam inter adversarios Severi numerandus est, utpote a Severo anno 197 interfectus, qui eum incusabat, quod se veneno adpetisset [3].

Hostis Severi ille quoque praeses Africae erat, quem Tertullianus secundo loco laudat, Vespronius Candidus, vetus consularis. Qui quum parsimonia et austeritate invidiam militum in se concitasset, haud multum abfuit, quin ab iis anno 193 necaretur. Postea quum Romae nuntiaretur, Severum a Iuliano descivisse et cum exercitu Romam proficisci, a senatu Severo obviam missus est cum aliis legatis, qui militibus persuaderent, ut Severum repudiarent et efficerent, ut is esset imperator, quem senatus elegisset [4]. Viro senatorii ordinis, qui legationem tam periculosam susceperat, ultio Severi certo timenda erat, ideoque Vespronium Candidum non ultra annum 198, quo anno Severus post vindemiam parricidarum racemationem illam, de qua supra locuti sumus, fecit, vixisse coniiciendum est. Sed quia inter occisos neque a Spartiano [5] neque a ceteris scriptoribus eius temporis numeratur, eum morte ante id tempus praereptum esse puto. Ut id credam, eo facilius adducor, quia iam annis multis gravatus erat. Monumento, quod Borghesius intra annos 183—185 erectum esse demonstravit, eum sub Marco Aurelio fasces egisse probatur [6].

Sub nomine Aspri, quem Tertullianus eodem loco tertium fautoribus Christianorum adiunxit, C. Iulium Asprum, qui anno 212 consulatum iterum adeptus est, latere, omnes interpretes consentiunt. De eo Dio Cassius quaedam refert, quae etiamsi ad rem nostram non pertineant, memoratu tamen digna videntur. Secundum Dionem ipse cum filiis suis

---

[1] Bonwetsch pag. 73. Tissot. pag. 131.

[2] Aelius Lampr. Com. c. 20. Eius nomen hoc loco Cingius scriptum est, quae scriptio secundum Casaubonum non obstat, quominus eundem putemus ac supra dictum. V. Oehler. Tert. opp. I pag. 546 nota c.

[3] Spart. Sev. 13, 9.

[4] Spart. Didius Iul. c. 5, 6. Dio 73, 13.

[5] Id. Sev. c. 13.

[6] C. I. L. III 1092.

a Caracalla imperatore in magno honore habitus, postea vero in exsilium relegatus est [1]. Alii Aspro, qui eius filius videtur esse, Caracalla Asiam provinciam obtulit, sed hoc imperatore repentina morte sublato, Macrinus eum revocavit, quum iam in itinere esset [2].

C. Iulius Asper in consulatu filium C. Iulium Galerium Asprum collegam habuit, cuius honores consulatu anteriores ex titulo Mauritanico novimus [3]. Hac inscriptione fretus Waddington conclusit, Asprum iuniorem quaestura Africana anno 205/6 functum esse, et quia moris erat, ut proconsules, si quos filios idoneos haberent, eos quaestores suos in eadem provincia, quam regebant, facerent, idem vir doctissimus coniecit, Asprum seniorem provinciae Africae anno 205/6 praefuisse. Quae quidem coniectura, quamvis verisimilis esse videatur, certo argumento non nititur. Fieri enim potuit, ut Asper post primum consulatum, cuius tempus nescimus, non post secundum, Africam provinciam obtineret. Atque ita fuisse, nunc putandum est, quia ex iis, quae supra dicta sunt, apparet, Asprum eam provinciam rexisse, antequam Tertullianus libellum ad Scapulam scripsit. i. e. ante annum 197. Quibus de caussis eius proconsulatum non cum Tissoto aliisque in anno 205/6 collocandum, sed altius removendum esse, censeo.

De Aspro proconsule prov. Africae Tertullianus refert, eum coram assessoribus et advocatis in tribunali sedentem professum esse, dolere, se incidisse in hanc caussam et Christianum accusatum et modice vexatum non compulisse, ut sacrificaret.

Si textui ab editoribus recepto fides habenda sit, quartum insuper fautorem Christianorum Tertullianus produxerit Pudentem proconsulem. Sed quia omnia ex interpretatione recta pendent, totus locus transcribendus est. Tertullianus dicit: *Quanti autem praesides et constantiores et crudeliores dissimulaverunt ab huiusmodi caussis? Ut Cincius Severus, qui Thysdri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent? Ut Vespronius Candidus, qui Christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere dimisit? Ut Asper, qui modice vexatum hominem et statim deiectum nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et assessores dolere, se incidisse in hanc caussam. Pudens etiam missum ad se Christianum in elogio concussione eius intellecta dimisit* [4].

Quem locum si accurate discusserimus, videbimus, Tertullianum in enumerandis proconsulibus ea figura usum esse, quam rhetores repetitionem appellant, dicens: *Ut Cincius Severus, qui* ... *Ut Vespronius Caudidus, qui* .... *Ut Asper, qui* ... Quare, quaeso, ad quartum proconsulem transiens eundem modum dicendi non servavit neque in eadem compositione verborum consummavit sermonem dicens: *Ut Pudens, qui missum* etc.? Nulla mea quidem sententia caussa erat orationis ordinem mutandi. Huc accedit, quod codex Vaticanus 190, quem inspexi, loco vocis „Pudens“ habet „pudet“ et si cum aliis codicibus illud „pudens“ retinere volumus, non pro nomine proprio habendum est, sed pro participio.

---

[1] Dio 77, 5.
[2] Id. 78, 22.
[3] Tissot. pag. 139. Marini Gli atti e monumenti dei fratelli arvali Rome 1795 t. II pag. 784 f.
[4] Tert. ad Scap. 4 secundum edit. Oehler. Concussio est depraedatio simulatione potestatis publicae facta Dirksen, manuale s. h. v.

Quare locum istum mendose editum esse, mihi persuasum est. Verborum enim ambitus et orationis compositio expostulant, ut ultima pars periodi cum anteriore coniungatur, non separetur ab ea, totaque periodus sic interpungenda et emendanda est: *Ut Asper qui modice vexatum .... ante professus inter advocatos et assessores dolere, se incidisse in hanc caussam, pudens etiam, missum ad se Christianum; in elogio concussione eius intellecta dimisit, scisso etiam elogio.*

Hoc loco Tertulliani sanato, explosa est omnino sententia de Pudente proconsule eumque e numero magistratuum Africanorum eo facilius delebimus, quod Severiano tempore nullus Pudens consul aut proconsul neque in fastis neque in monumentis invenitur. Nam Qu. Servilius Pudens consul ordinarius anni 166 a Severiano tempore nimis remotus est neque, quum a Tertulliano ultimo loco nominetur, Aspro praeponi potest, quod fecit Tissotus [1].

De persecutoribus Christianorum, qui in libro ad Scapulam misso denotantur, de Caecilio Capella reliquisque disserendi non est locus [2], Hilarianum autem procuratorem, dein proconsulis vices gerentem silentio praeterire non licet, quia in Africa ipsa iis muneribus functus est. Eius proconsulatum *in anno praeterito* collocare Tertullianus videtur his verbis: *Sicut et sub Hilariano praeside, quum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: Areae non sint, areae ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Ceterum et imbres anni praeteriti* cet. His verbis duo mala vel duas calamitates anni praeteriti evidenter memorantur, agrorum sterilitas et imbrium inundantia, quarum illam aestate anni 196, hanc vero hieme 196/7 accidisse puto.

Quae verba Tertulliani si recte interpretatus sum, sequitur, ut Hilarianum usque ad ver anni 197 Africae provinciae praefuisse censeamus. Nam ex actis ss. Perpetuae et sociorum martyrum cognovimus, Minucium Timinianum proconsulem intra annum proconsularem mortuum esse, eique Hilarianum procuratorem cum iure gladii successisse, ut reliquo illius anni spatio proconsulis vices ageret.

Quae quidem opinio sententiis virorum doctorum omnium, qui de hac re scripserunt, adversatur. Omnes enim proconsulatum Hilariani et martyrium Perpetuae in initium saeculi tertii p. Chr. detrudendum esse putant [3], sed haec sententia quasi communis nulla certa ratione fulcitur, sed e sola coniectura orta est, quare eam sine scrupulo derelinquere licet, meliore et probabiliore inventa. Illam sententiam, quam quasi communem dixi, sola mentio Getae Caesaris tueri videtur. Credunt enim, Getam Severi filium natu minorem non ante annum 198 a patre Caesaris nomen obtinuisse [4]. In ea autem re hoc solum

---

[1] Inscriptio Kalamensis, quam affert Tissotus pag. 125, nihil probat, quum mutilissima sit. Tissotus non haesitans eam suo Marte supplevit dicens: Ou peut combler la lacune par les mots: Cos. Procos. Prov. Afr. pag. 126. Sed quo iure hoc fecerit, non dixit.

[2] Praefectus legionis Tert. ad Scap. 4, quem Görres, Jahrb. für prot. Theol. 1876 praefectum urbis Leon in Hispania sitae perperam coniecit, est praefectus Legionis Numidicae, cuius castra stativa Thevestes erant. Mommsen, Röm. Gesch. V pag. 632. Marquardt-Mommsen, Röm. St.-Verw. ed. II t. I pag. 469 (4).

[3] Ruinart: Anno 202 vel 203. Tillemont mem. p. s. 205 ou peu après.

[4] Wirth quaest. Sev. pag. 11.

verum est, Getam anno 198 dignitate Caesarea iam floruisse, sed quo tempore eam obtinuerit, compertum non habemus. Videtur autem eam obtinuisse, postquam bellum Parthicum primum a patre feliciter finitum est. Spartiani enim rerum gestarum scriptoris id enarrantis verba (Geta 5, 3 et Sev. 16, 2), quominus ad bellum Parthicum primum, non ad secundum referamus, nihil obstat. Ita fit, ut tempore, quo Tertullianus libellum ad Scapulam proconsulem misit, eruto, verum quoque tempus martyrii celeberrimi ss. Perpetuae et Felicitatis inveniamus Nonas Martias anni 197 p. Chr.

Sed haec hactenus! Re ipsa ad finem perducta, paucis verbis eam complecti et fructus colligere iuvat. Nemo doctus hodie nescit, quantum ad historiam ecclesiae primaevae recte conscribendam et inprimis ad chronologiam saniorem reddendam prodest procuratorum atque proconsulum nosse et nomina et tempora. Quare operam et oleum non perdidisse mihi videor, si seriem proconsulum, qui Severiano tempore Africam administraverunt, quam accuratissime fieri potuit, denuo contexui et cum ea, quam Tissotus concinnavit, comparandam proposui. Ita enim ponitur historiae primordiorum ecclesiae Africanae firmissimum fundamentum.

Proconsules prov. Africae (180—220 p. Chr.).

Expunctis denique, qui expungendi sunt, fictitiis proconsulibus aliisque quoad tempus rectius dispositis, haec prodit series proconsulum Africae eius temporis, quo Tertullianus scriptor ecclesiasticus vixit ac floruit.

M. Aemilius Macer Saturninus 180/81. M. . . . Saturninus proc. Afr. Tert. ad Scap. 3 Σατυρνῖνος Usener acta mart. Scill. Graece ed. Consul. suff. a. 174. Klein fasti pag. 79. Legatus prov. Numidiae C. I. L. VIII 2131. 4209. 4210 Rénier 1418. 1419.	*P. Vigellius Raius Plarius Saturninus Atilius Braduanus C. Aucidius Tertullus. 180 p. Chr.*
Cincius sive **Cingius Severus** anno incerto (180—88). Pontifex Ael. Lamp. vita Com. c. 20. Proconsul Africae Tert. ad Scap. 3. Adversarius Septimi Severi, a quo interfectus anno 197 est. Spart. Sev. c. 13, 9.	*Cincius Severus 180—190.*
	Qu. Servilius Qu. f. Pudens 176—183.
Vespronius Candidus anno incerto (182—188). Vetus consularis et legatus senatus ad Severi milites missus Spart. Didius Iul. c. 5. Dio Cass. 73, 16. C. I. L. III 1. 1092. Lapis anni p. Chr. 183—185 (secundum Borghesium annales 1855 pag. 32). Albae Iuliae inventus.	*Vespronius Candidus 180—190.*
	C. Vettius Sabinianus 190/91 *).
C. Helvius Pertinax 188/89. Proconsul Africae Capit Pert. c. 4. Consul suff. Klein pag. 80. Wirth quaest. Sev. pag. 49.	*C. Helvius Pertinax 191/92.*
M. Didius Severus Iulianus 190/91. Consul suff. Klein pag. 80. Proconsul Afr. Spart. Did. Iul. c. 2. Cf. Bull. della comm. arch. com. 1884 II pag. 90. Wirth quaest. Sev. pag. 49.	*M. Didius Senerus Iulianus 192/93.*

*) C. Vettius Gratus Sabinianus, consul ord. a. 221, fuit proconsul Africae C. I. L. VIII 823. III 4426 sed, quo tempore, omnino incertum est. C. Vettius Atticus Sabinianus fuit consul ord. 242 Chr. Tissot pag. 128.

P. Cornelius P. f. Anullinus 193/94.
Consul II anno 199 C. I. L. II 2073. Praef. urbi 200. Proconsul Africae eo anno, quo Severus cons. design. erat i. e. 193 p. Chr. Titulus civitatis Ucres apud Tissotum pag. 131 seqq. Non est idem atque ille dux exercitur Severiani, qui apud Issum vicit. Dio 74, 7. 75, 3.

P. Cornelius P. f. Anullinus 193 94

C. Iulius Asper. 191/92 vel 194—196.
Consul suff. incerto anno, iterum consul una cum filio anno 212. Dio Cass. 75, 5. 78, 22. Proconsul Africae Tert. ad Scap. 4. Waddington fastes 168. Marini acta arv. 784. Tissot pag. 138. Görres, Fr., Jahrbücher für protest. Theol. IV 316. Wirth l. c. pag. 50, cum Borghesio eius proconsulatum Afr. ad annum 197 removere vult; equidem eum altius removendum censeo.

L. Fabius Valerianus 194—198.

Minucius Timinianus 196 aestate.
Proconsul Africae Acta mart. ss. Perpetua et Fel. Ed. Ruinart c. 6 mortuus est intra annum proconsularem.

Minucius Timinianus 201/2.

Hilarianus 196/97.
Procurator cum iure gladii Acta mart. Perp. et Fel. c. Praeses Africae Tert. ad Scap. 3.

Hilarianus 202/3.

Scapula 197/98.
Proconsul Africae Tert. ad Scap. c. 3, ubi tempus evidenter definitum est. Probabile est, eum consulem ord. anni 195 esse nomine Scapulam Tertullum. Digg. I 18. 14. Capit. Vita M. Ant. c. 29. C. I. L. III 4407. Waddington fastes nr. 121 pag. 741 cfr. nr. 167. Inscriptio lapidis Burnensis. Scapul..... Leg. Augg. prov. Dalmatiae. Bull. di Spalato 1878 I 110.

L. Fabius Valerianus (198—202?).
Dux exercitus Severiani apud Issum anno 194. Dio 77, 7. Proconsul Africae incerto anno. Gruter thes. inscr. 1013, 40. Tissot pag. 134.

L. Cuspius Rufinus 203/4.
Cons. ord. 197. Proconsul Africae Plutiano et Zeta conss. Ado Martyrol. 18. Iuli Aug. Sermo 280—82.

L. Cuspius Rufinus 203/4.

T. Sextius Lateranus 204/5 vel 208/9.
Dux militum Severianorum in bello Asiatico anno 195. Dio 75, 2. Cons. ord. 197. Proconsul Afr. anno trib. pot. Severi imp. XII. cons. III i. e. 204. Vide titulum inventum apud Makter. Comptes rendus de l'acad. des inscript. etc. 1883 pag. 3 .... MAXIMI P. P. TRIB. POT. XII. COS. III ....NNO SEXTI LATERANI PROCOS. C. V. L. RVPILIVS. A. Utrum in hoc titulo Septimius Severus imp. nominatus fuerit an Caracalla, non satis certum esse, moneo. Non solum enim Severi annus trib. pot. XII quadrat ad consulatum eius tertium, verum etiam Caracallae annus XII eius consulatui tertio congruit, qui et ipse nomen habuit Parthici Maximi. Klein fasti pag. 91 ad an. 208. Ergo hic titulus eodem iure ad annum 208/9 revocari potest, atque ad 204/5.

T. Sextius Lateranus 204/5.

M. Valerius Bradua Mauricus.
Cons. ord. 191. Proconsul Afr. Severo et Antonino impp. Digg. I 21, 4. XXVI 10, 1; quo anno, nescitur. Tissotus eum ex conjectura probabili huic loco inseruit. Cfr. C. I. L. VI 1980.

M. Valerius Bradua Mauricus 206/7.

M. Macrinius Hermogenianus.
Proconsul Afr. Vide titulum Verafranum C. I. L. vol. X t. I no. 4860. Annus omnino incertus est Tissotusque coniectura probabili ductus eum in hoc loco collocavit 207/8 vel 208/9.

M. Macrinius Hermogenianus 207/8 vel 208/9.

T. Flavius Decimus 209/10.
Proconsul Afr. Vide titulum C. I. L. VIII 1217 Severi anno trib. pot. XVII imp. XII cos. III. Tissotus pag. 142.

Claudius Iulianus.
Proconsul Afr. Vide titulum C. I. L. VIII 4845. Annus ignotus est. Hic Iulianus idem habetur atque Appius Claudius Iulianus praef. annonae 201 praef. praet. 202 iterum consul 224 praef. urbi 234. Tissotus pag. 147 huic proc. tres annos proconsulatus nescio qua ratione motus tribuit.

Maximus 217/18.
Iterum proconsul Afr. anno trib. pot. XX Imp. Caes. M. Aurelii . . . Parthici maximi Britannici. Vide lapidem milliarium inventum apud Hadrumetum (Soussa) Tissotus, qui hunc titulum affert, eum perperam interpretatur dicens, PROCOS II significare annum secundum proconsulatus, qui nullus erat (pag. 148). Hunc Maximum eundem esse atque Annium Maximum, consulem ordinarium anni 207, coniicio.

L. Marius L. f. Maximus Perpetuus Aurelianus 219/20 vel 220/1.
Dux militum Severianorum apud Byzantium et Lugdunum, deinde cons. suff. legatus Augusti, propaetore provv. Belgicae, Germaniae inf. Caelesyriae, Asiae, Africae praef. urbi 217 Dio 78, 14. 79, 2. Consul ord. 223. Klein fasti 96. Habemus quattuor inscriptiones, quae eius nomen praebent et cursum honorem nos docent. Tamen, quo anno proconsulatum Africae obtinuerit, definiri nequit. Waddington l. l. nr. 167 ante eius consulatum factum esse, probabiliter coniecit. Vide Tissotum pag. 153.

T. Flavius Decimus 209/10.

Qu. Flavius Scapula Tertullus 210—213.

Claudius Iulianus 213/14 vel 214/15.

Annius (?) Maximus 215—17.

L. Marius Maximus Perpetuus 218—221.

III.

Librum de poenitentia ineunte anno 205 scriptum esse, maxime probabile est.

Inter amicos et necessarios [1] Severi maxime claruit C. Fulvius Plautianus, vir omni ex parte Seiano et Perenni et Cleandro comparandus. Plautianus natione Afer, humili loco natus, propter seditionem iam exilio multatus, ut Herodianus quidem narrat, in Severi intimam ut arctissimam amicitiam pervenit ita quidem, ut homines tantam familiaritatem sine turpi amore inter eos intercedere non posse suspicarentur [2]. Quomodocunque haec res se habuit, Plautianus intimis Severi consiliis bello domique per decem annos interfuit. Iam anno 193 simulatque Severus imperator appellatus est, ad occupandos Nigri liberos ab eo missus est [3], anno autem 196, tribunum cohortis decimae praetorianorum inscriptione arae, quam ipse ad comprimendam seditionem Albinianam per Panoniam proficiscens Poetavione posuit [4], eum fuisse constat. In expeditione Syriaca secunda

[1] De amicis et necessariis Caesarum recole animo, quae scripsit Friedländer, Sittengeschichte Roms VI. Ed. t. I pag. 133 seqq. et de Plautiano, quae ibidem pag. 219 leguntur.

[2] Herod. III 10.

[3] Spart. Sev. 6, 10.

[4] Praestito[i] Iovi S. C. Fulvius Plautianus, tribunus coh. X praet. cultor numinis ipsius, proficiscens ad opprimendam factionem Gallicanam iussu principis sui aram istam posuit. Vide A. von Premmerstein in Archaeol. epigr. Mittheilungen aus Oesterreich 1888 pag. 131. C. I. L. III 4037.

Plautianus Severum prosequebatur; eo enim autore Percennianas reliquias a Severo in Asia extinctas esse, Spartianus confirmat [1].

Quo anno praetorio praefectus sit, nescimus, sed quin hanc praefecturam per longum tempus obtinuerit, non dubito. Mox summos in republica honores nactus et domui imperatoriae affinitate coniunctus est. Primum enim Severus insignibus consularibus eum auxit [2] ita ut eius primus consulatus pro secundo haberetur. Finito bello Parthico secundo, quum Severus anno 202 Romam ovans ingrederetur, una cum Plautiano Capitolium petiit [3] et paulo post reditum, decennalibus summo splendore et maximo apparatu mense Iunio anni 202 celebratis, Plautillam, Plautiani filiam, Caracallae filio natu maiori in matrimonium dedit [4], deinde eum una cum fratre Septimio Geta consulem ordinarium anni 203 designavit.

Sed Plautianus in summo honorum et opum fastigio positus ruinae erat proximus. Erigebantur enim ei ab adulatoribus et clientibus tum Romae quum in provinciis statuae in diem plures et maiores ac splendidiores quam imperatori, quum ipse iam antea statuam suam inter propinquorum Severi simulacra non haesitans posuisset [5]. Inde factum est, ut vulgus eum haeredem imperii fore crederet. Quibus rebus in odium Severi incurrit, cuius indignatio tanta fuit, ut iam tum hostis et laesae maiestatis reus renuntiatus a multos putaretur. Id intra annum ante eius mortem evenit [6].

Quum paullo post per breve tempus cum Severo in gratiam rediisset, mox de fortunis omnibus deturbatus est vitamque amisit. Iam pridem enim inimicitiae acerbissimae intervenerant inter illum et Iuliam, Severi uxorem, quam semper apud Severum columniabatur, et inter Caracallam generem, qui Plautillam, ut feminam impudentissimam, male tractabat. Postremo Septimius Geta, frater imperatoris, moriens Severo omnia indicavit, quae Plautianus moliebatur vel moliri putabatur [7].

Ita factum est, ut Caracallae, qui iam diu se ab eo liberare et vindicare statuerat, tempore ludorum palatinorum omnia ex sententia succederent. Falsis enim, ut videtur, accusationibus et indiciis socerum apud Severum in suspicionem vocavit, quasi eius et Caracallae ipsius necem ex insidiis moliretur. Ita Plautianus illico vespere in palatium accersitus a militibus statim eodem die gladiis confossus est [8].

Necem inexspectatam et atrocem tam potentis et divitis viri et amici imperatoris non sine portentis et ostentis accidisse putat Dio Cassius, scriptor supra modum super-

---

[1] Spart. Sev. 15. 4.

[2] Dio 46, 46.

[3] Spart. Sev. 14, 7.

[4] Dio 76, 1 al. 2. Spart. Sev. 14, 8.

[5] Spart. Sev. 14, 5.

[6] Dio 75, 16 dicit de hac indignatione Severi loquens οὐδ' ἀπηνιαύτισεν ὁ Πλαυτιανός i. e. annum integrum postea non vixit Plautianus. Huius loci vir cl. Wirth, qui Plautianum in hoc odium anno 202 irruisse putat, haud memor fuisse videtur. Verum enim vero valde probabile est, eum iam aliquod tempus ante mortem et pluries Severi odium subiisse.

[7] Dio 75, 15. 76, 2. Herod. III 11, 12.

[8] Id. ib. Uter verius hanc rem narraverit, Dio an Herodianus, historicis inquirendum relinquo.

stitiosus. Primum enim pro ostento habuit, quod cetus maximus in portum Augusti appulit ibique captus est, deinde quod cometes per multos dies Romae videbatur, postremo eruptio montis Vesuvii magnum aliquod malum portendere ei visa est.

Vesuvius enim illo ipso tempore ingentes flammas evomuit atque rugitus montis talis erat, ut Capuae, in qua urbe Dio, quotiens in Italia degebat, habitare solebat, audiretur. Hoc miraculo naturae magnam immutationem rerum portendi, putans Dio non dubitavit credere, eam statim [1] in Plautiani fortuna factam esse.

Eiusdem eruptionis Tertullianus in libro, quem 'de poenitentia' inscripsit, mentionem fecisse videtur: „*Quid illum thesaurum,* inquit, *ignis aeterni aestimamus, quum fumariola quaedam eius tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut iam nullae extent, aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt enim superbissimi montes ignis extrinsecus fetu*“ [2].

Quae verba si quis cum iis comparaverit, quae Tertullianus Apol. c. 40 et in libro de pallio c. 2 de Pompeiis e suo monte et de Vulsiniis e caelo igni perfusis dicit, intelleget, eum illic de re praeterita, hic de re praesenti esse locutum. Proximas enim monti urbes flammis iam deletas Pompeios et Herculanum et Stabias esse, nemo est, qui nesciat, et quum idem dicat, alias urbes idem de die sperare, haud dubium est, quin de monte Vesuvio eodem tempore ignes evomente loquatur. Alii enim montes, Africae proximi, Aetnam [3] dico et montes insularum Liparaearum, eo tempore, quo Tertullianus scriptor ecclesiasticus florebat, ignes non evomuisse, historiae monumentis satis constat [4]. Insuper in insulis Liparaeis „urbes“ quae dirui potuissent, non erant, sed sola oppidula et vici. Quare Tertullianum, urbes monti vicinas eo tempore interitum de die exspectare dicentem ad montem Vesuvium, qui teste Dione eo ipso tempore, quo Plautianus occisus est, tremuit et ignes evomuit, respexisse, non coniectura sola probabile est, sed pro explorato haberi potest [5].

Quae quum ita sint, Tertullianus librum de poenitentia eo prorsus tempore scripsit, quo nuntius de Vesuvio dissiliente et ignem evomente Carthaginem pervenit, quod paullo ante caedem Plautiani factum est. Ergo sciemus, quo tempore liber Tertulliani de poenitentia scriptus sit, si cognoverimus, quo tempore Plautianus occisus sit.

In enarrandis his rebus Dio Cassius temporum ordini servando non satis curae ha-

---

[1] Αὐτίκα Dio Xiph. 76, 2.

[2] Tert. de poen. 12.

[3] Cfr. Landgrebe, qui in opere, cui titulus: Naturgeschichte der Vulkane. Gotha 1855. t. I pag. 41 dicit: „Von der christlichen Zeitrechnung an hat es wohl keine nur einigermassen bedeutende Aetna-Eruptionen gegeben, von denen nicht die besonderen Umstände, unter denen sie sich ereigneten, aufgezeichnet worden wären.“

[4] Historiam terrae motuum et eruptionum, quas vulcanias dicimus, accurate conscripsit E. D. Ad. v. Hoff, Chronik der Erdbeben und vulkanischen Ausbrüche. Gotha 1840. In tomo II huius operis, cui titulus: Geschichte der durch Ueberlieferung nachgewiesenen natürlichen Veränderungen der Erdoberfläche, documentis probat, inde ab anno 176 vel 177 p. Chr. usque ad annum 203 (recte 204) neque terrae motum neque eruptionem vulcaniam in orbe antiquo fuisse pag. 177. Idem autor in tabula chronologica has eruptiones Aetnae enumerat: 40 p. Chr. deinde 251 p. Chr. Vesuvii 79 deinde 203 p. Chr. Idem de insulis Liparaeis ea, quae ad rem nostram pertinent, collegit t. II pag. 252—266.

[5] Videsis, quae dicit J. Roth, Der Vesuv u. s. Umgebung. Berlin 1854 pag. 4. Landgrebe l. l.

buit. Diem enim, quo Plautianus necatus est, memoriae aperte prodidit [1], annum non item. Quare aliunde eum quaeramus oportet. Atque primum quidem falsum est, quod legitur in chronicis paschalibus sive Alexandrinis [2], Plautianum die 23. Ian. 203 diem supremum obiisse. Argumentis enim certissimis evincitur, eum mense Augusto eiusdem anni vixisse et consulatus munia obiisse [3]. Idcirco plures viri docti pro certo habebant, eum ineunte anno 204 e vita migrasse.

Sed longius procedendum videtur. Refert enim Dio Cassius [4], quum alios ut conscios et participes consiliorum Plautiani punitos esse, tum Aegyptium quendam nomine Coeranum, eius amicum, in exilium eiectum; postquam septem annos exulaverit, a Caracalla eum revocatum esse, postea in Senatum adlectum, quod nulli unquam Aegyptis contigerat, et consulari dignitate auctum esse. Caracallam eum simulac principatum fratre necato solus occupavit, ab exilio revocasse, persuasum habeo, id est anno 211, et si post exilium septem annorum redux factus est, ineunte anno 205 exsilio mulctatus esse videtur.

Post caedem Plautiani Caracalla Plautillae uxori repudium remisit, eamque domo eiectam in insulam relegavit. Nomina vero non solum Plautiani ipsius verum etiam liberorum eius, inprimis Plautillae, ubicunque monumentis publicis honorifice inter nomina Augustorum insculpta erant, deleta sunt, quod quidem illis temporibus moris erat, si quis ab Augusto hostis habebatur.

Hic mos nos adiuvat ad inveniendam quam quaerimus aetatem libelli Tertullianei 'de poenitentia' inscripti. Etenim plus quam viginti annos abhinc Bormannus perspexit [5] inscriptioni eius arcus, qui in honorem totius familiae Severianae ab argentariis in foro boario erectus est, olim nomina Plautillae et Plautiani inserta fuisse, quae hodie non leguntur. In loco enim liturae, ubi hodie legitur: „Senatus et patriae et" ex vestigiis et relliquiis litterarum originalium primo: „Fulviae Plautillae Augustae" et infra „filiae Fulvi Plautiani insculptum esse apparet. Atqui illum arcum anno XII trib. pot. Severi id est anno 204 p. Chr. dedicatum esse constat, ergo Plautillam eo anno ab Antonino in honore habitam aut certe eius uxorem fuisse patet. Inde sequitur, ut Plautianus, quem die festo ludorum palatinorum, id est mense Ianuario, occisum esse, certum exploratumque est, per integrum annum 204 vixerit et proinde die X ante Cal. Februarias 205 interfectus sit.

Revertamur nunc ad Tertullianum nostrum! Quodsi Plautianus ante diem X Cal. Febr. anni 205 interfectus est, mons Vesuvius paullo ante illum diem flammas eiicere coepit. Cuius rei nuntius quin post paucos dies in Africam pervenerit, non est dubium et quum circa idem tempus Tertullianum librum 'de poenitentia' scripsisse demonstratum sit, id primo mense anni 205 factum esse, maxime probabile est.

---

[1] Dio 76, 3.
[2] Chron. pasch. ed. Bonn. I 496 (266 B.).
[3] C. I. L. III 5802. VI 220. Klein fasti cons. pag. 90.
[4] Dio 76 5.
[5] Annali del instituto archaeol. di Roma an. 1867 pag. 218. Cfr. quae annotavit Mommsen C. I. L. VI. I nr. 103. Friedländer l. l.

Tertullianum loco supra laudato cap. 12 ad eruptionem Vesuvii respexisse, iam pridem vidi et publice defendi. Sed quia tunc in ea sententia essem, ut Plautianum anno 204 occisum esse putarem, librum de poenitentia in principio anni 204 reposui [1] nunc vero, re iterum perpensa, tam Plautiani mortem, quam librum de poenitentia initio anni 205 tribuendum esse intellego.

IV.

Quo tempore Tertullianus ad Montani partes transierit, inquiritur.

Viris doctis, qui historiae antiquae ecclesiae investigandae studia sua navabant, semper curae erat, quo anno Tertullianus ad Montani partes transiisset, ex monumentis eruere; sed pro subsidiorum qualitate et pro ingenii acumine alii aliter de hac re senserunt. Pauca interim summatim attingam. Noesselt anno 199 id factum esse putat, Le Nourry et Hesselberg anno 200, Neander et Uhlhorn anno 202, Moehler eum nisi iam antea certe anno 202 Montani dogmata amplexum esse opinatur, plurimi certam de tempore sententiam proferre non sunt ausi. Omnes autem, quos dixi, viam, qua ad eruendum tempus secure procedere possent, non satis munitam et praeparatam habuisse videntur.

Difficultatibus huic rei obiectis hoc modo mederi possumus. Etenim nemo unquam negavit, ea, quae in libro 'de poenitentia' inscripto de exomologesi et de reconciliatione poenitentium a Tertulliano dicta sunt, cum ecclesiae primaevae agendi modo consentire et proinde a Montani dogmate abhorrere. Ergo cuicumque persuasum est, illum librum exeunte anno 204 aut ineunte anno 205 esse conscriptum, sine ambage concedet, Tertullianum anno 204 et 205 Montani doctrinae nondum addictum esse.

Quo vero anno Montani dogmata publice docuerit et defenderit, Tertullianum ipsum optimum et luculentissimum testem habemus. Libro enim adversus Marcionem primo praeter consuetudinem suam, annum inseruit, quo scriptus est, septimum dico Severi imp., id est annum 207/8 p. Chr. n.[2] Autorem autem libri primi adversus Marcionem Montani sectae addictum esse, ex iis verbis colligo, quae in fine leguntur: *Sed et si nubendi iam modus ponitur, quem quidem apud nos spiritalis ratio paracleto autore defendit* et reliqua [3]. Inde mihi satis constare videtur, Tertullianum post annum 205 et ante annum 207, ergo anno 206 p. Chr. ad Montani dogma delapsum esse.

---

[1] Vide dissertationem meam, quam in commentariis menstruis Maguntinis, quorum titulus est: Der Katholik anno 1879 t. II pag. 561—589 publicavi. Quam quidem dissertationem non videtur legisse vir doctissimus Nöldechen, qui eandem sententiam ut novam nuper protulit, quam nunc in melius reformatam denuo exhibeo.

[2] Tert. adv. Marc. I 15. Annus septimus Severi imp. incipit a Cal. Iuniis anni 207 p. Chr. n.

[3] Id. adv. Marc. I 29. Bonwetsch l. l. pag. 42 quantum scio solus huic sententiae refragatur atque indolem Montanianam libri primi adv. Marc. negat. Sed ipse viderit!

V.

Librum 'de corona militis' anno 211 conscriptum esse, probatur.

Praeter solita stipendia, quae militibus per annum aut semestre spatium porsolvebantur, imperatores singulis militibus totius exercitus Romani pecuniam largiebantur, quae largitiones haud raro effusae erant. Fiebant autem variis de caussis ex. gr. ob victoriam ab imperatore reportatam, tempore quinquennalium, decennalium aliisque de caussis similibus. Quarum largitionum maiores liberalitates, minores donativa dictae esse videntur. Severus omnes antecessores liberalitatum et frequentia et magnitudine facile superavit, quum per occasionem decennalium singulis militibus decem aureos donaverit [1]. Moris erat, ut largitores liberalitates suas posteritatis memoriae proderent, nummos, quos eo anno cudebant, inscriptione apta ornando. Qua inscriptione LIBERALITAS AVGVSTI adiuti annos eruere possumus, quibus liberalitates singulae factae sunt.

Ita Severum imp. sexies militibus tales largitiones praestitisse, nummis annorum 193/94, 196, 202, 203, 208, 211 p. Chr. n. probatur [2]. Caracallam patris exemplum secutum esse, postquam Caesar factus est, ex nummis annorum 197, 203, 204, 208, 211 intelligitur [3], Getamque idem fecisse, nummis annorum 208 et 211 confirmatur [4].

Quarum liberalitatum alias a Severo solo, alias ab eo una cum filiis praestitas esse, nummi testantur, quum illae *liberalitates Augusti*, hae *Augustorum* nuncupentur, et imaginibus ceterisque symbolis, quae nummis insculpta sunt, docemur, utrum ab uno vel a pluribus facta sint. Eiusmodi liberalitates communes donabantur annis 203, 204, 208, 211, quod e libris eruditorum lector benevolus facillime discet [5]. Liberalitas anni 208 trium Augustorum [6] communis fuit, liberalitas autem anni 211 communis Getae et Caracallae [7].

Liberalitatum, quas Severus una cum filiis aut eius filii simul militibus tribuerunt, quaedam Tertulliano occasionem praebuit, librum 'de corona militis' scribendi. Etenim quum pecunia militibus in castris, Carthaginiensibus credo, persolveretur, unus ex iis non in eo habitu, quo iussus erat, id est corona capiti imposita, sed eam manu gerens ad accipiendum donativum accessit. Quare Christianus deprehensus a centurionibus ad tribunos ductus et accusatus sine dubio poenas dedit. Hunc militem stulte egisse, multi clamabant, Tertullianus vero ad defendendum eum hunc librum, de quo loquimur, conscripsit.

---

[1] Dio 76, 1.

[2] Cohen descr. hist. Ed. II. t. IV pag. 32—34.

[3] Id. ibid. pag. 156—159.

[4] Id. ibid. pag. 260 sq.

[5] Id. ibid. pag. 34 nr. 283 et 295. pag. 156 nr. 121—130. Cfr. pag. 260 nr. 71.

[6] Id. ibid. pag. 157 nr. 127. Septime Sévère assis entre Caracalla et Geta, tous trois à gauche sur une estrade. Inscriptio est: Liberalitas Augustorum VI.

[7] Id. ibid. pag. 157 nr. 130. pag. 260 nr. 70 et 71 quae moneta eadem est atque illa pag. 157 nr. 150 praeterquam quod Getae nomen prae se fert P. Septimius Geta Pius Aug. Brit., illa vero nomen Caracallae, Antoninus Aug. Brit.

Locus igitur praecipuus, qui ad inveniendum tempus idoneus est, initio huius libri legitur: *Proxime factum est; liberalitas praestantissimorum imperatorum expungebatur in castris.* Cap. 1. Sed quum, ut supra dictum est, largitiones duorum vel trium imperatorum communes quinque factae sint, hic locus per se non sufficit, ut certi aliquid de tempore statuamus, quo iste liber scriptus sit. Quare alias temporis notas quaeramus oportet. Inveniuntur autem duae, quarum potior est, quod Tertullianus, quo tempore librum hunc publicavit, Montani iam prophetias admisit ac defendebat. Reprehendit enim in capite primo eos, qui illas aspernabantur, his verbis: *Prophetias eiusdem spiritus sancti respuerunt.* Atqui, quoniam Tertullianus Montani dogmata ante annum 205 non est professus, liberalitatum, quas supra commemoravimus, duae vel tres priores excludendae sunt.

Restant igitur aliae duae, quae post annum 205 expunctae sunt, liberalitates Augustorum anni 208 et anni 211 p. Chr., quarum altera ea videtur esse, de qua loquitur, Tertullianus. Eo enim tempore, quo ista pecunia militibus Carthagine distributa est, ecclesia Carthaginiensis a persecutione libera erat et iamdiu *pace bona* fruebatur. Quae pax ne ob militis illius stultitiam perturbaretur, timidiores Christiani tunc non sine caussa metuebant, eumque acriter vituperabant: *Mussitabant denique tam bonam et longam sibi pacem periclitari.*

Si liberalitatem, quae Christianis Carthaginiensibus tantum metum incussit, eam esse velimus, quae anno 208 expuncta est, tempus a fine persecutionis Severianae usque ad illum diem brevius fuisset, quam ut pax, qua fruebantur Christiani, longa dici potuisset. Cessavit enim persecutio Severiana, quae proprie dicitur, in Africa non ante annum 204, quum Guddenen anno 203 martyrium subiisse certo constet [1]. Melius vero res se habet, si illam liberalitatem sumimus, quam Caracalla et Geta post bellum Britannicum militibus largiti sunt, quia inde ab anno 204 usque ad annum 211 septem anni pacis et quietis computantur, ita ut haec pax potius longa dici potuerit, quam illa trium annorum.

Quare librum de corona militis anno 211 a Tertulliano editum esse, iam pridem perspexi et defendi, cui opinioni nuper Nöldechen assensus est, Bonwetsch licet refragetur.

Ne quid, quod ad rem pertinere videtur, omittam, Tillemontii etiam mentionem facio, qui hunc librum anno 235 scriptum esse putat [2]. Id eum sensisse nemo miretur, quum vir ceterum doctissimus Tertullianum usque ad annum 245 vixisse putet. Hanc quidem opinionem in trutinam revocare necesse non est, quum Hieronymus, Tertullianum sub Severo principe et Antonino Caracalla maxime floruisse, dicat [3]. Sed Tertullianum hunc librum anno 235 omnino non scripsisse, iam inde patet, quia isto anno non erant plures Augusti sed unus Augustus et imperator, Maximinus Thrax, et proinde Tertullianus voce „liberalitas Augustorum“, uti non potuit, sed liberalitas Augusti [4] dicere debuit.

---

[1] Vide Adonis martyrologium ad diem 18. Iulii.
[2] Tillemont mémoires p. s. t. III pag. 99 et 101. Ed. Bruxel.
[3] Hieron. de vir. ill. c. 53.
[4] Cohen l. l. t. IV pag. 416 nr. 141—145 et pag. 507 nr. 19—27.

Epilogus.

Habes denique, lector erudite, ea, quae quaestionibus a viris doctis nuper habitis addenda vel in iis corrigenda mihi videbantur. Si quis nunc quaerat, cur supplementa chronologiae Tertullianeae scribentes tamdiu in his solis septem libris Tertulliani morati simus, respondebimus, quod ad tempora totius generis horum librorum pertineat, tres classes esse distinguendas, sicut Harnack [1] iam pridem recte monuit. Ac primam quidem librorum Tertulliani classem esse eorum, qui certum aliquod vestigium anni, quo scripti sunt, prae se ferant, illos dico septem, de quibus supra disputavimus. Secundam classem eorum esse, qui certum annum, quo scripti sunt, non praebeant, sed quorum tempus, si cum ceteris comparentur, plus minusve erui possit, in tertia vero classe eos reponendos esse libros, qui nullum omnino temporis indicium habeant.

Primam classem hac dissertatione iteratis curis discussi et siquis mihi exprobare velit, quod nunc in quibusdam rebus aliter sentiam atque olim factum est [2], proverbium Graecum obtendam: Δευτέραι φροντίδες σοφωτέραι. Secundae vero et tertiae classi, iam pridem dissertiuncula quadam [3], cuius argumentum repetere me piget, satisfecisse mihi videor. Summa autem eorum, quae de ordine chronologico omnium librorum Tertulliani superiore tempore disputavi, et eorum, quae ad memoriam augustissimi regis Friderici Guilelmi III, fundatoris huius almae matris litterarum universitatis Bonnensis, pie recolendam nunc conscripsi, laterculo in calce huius dissertationis apposito repraesentatur. Quem quidem ita disposui, ut eos octo libros, quorum annus erui et accurate definiri potest, in medio posuerim. Restant ii, quorum tempus plus minusve investigari potest, si observaverimus, cuius sint indolis et argumenti, aut quomodo cum aliis cohaereant eosque memorent, quorum tempus novimus, vel in iis memorentur. Quorum librorum eos, qui sunt de moribus Christianorum in sinistra parte, eos autem, qui spectant ad res dogmaticas, in dextra parte collocavi.

---

[1] Vide Brieger, Zeitschrift f. Kirchengesch. 1877. Heft I pag. 373.

[2] In versione Germanica Tertulliani, quam Coloniae anno 1882 edendam curavi.

[3] In commentariis Maguntinis Der Katholik 1879. II Organischer Zusammenhang und Chronologie der Schriften Tertullians S. 561—589.

	a. 193 aestate. De pallio.	
De spectaculis.		
	a. 197 vere. Ad martyras.	
	a. 197 aestate. Ad nationes.	
	a. 197 exeunte. Ad Scapulam.	
	a. 198 aestate. Apologeticum.	
De cultu feminarum.		
De idololatria.		
Ad uxorem.		
De patientia.		
Scorpiace.		
	a. 204/5 hieme. De poenitentia.	
		De praescriptionibus.
		Adv. Hermogenem.
		Adv. Valentinianos.
	a. 207/8. Adv. Marcionem lib. I.	
De oratione.		Adv. Marcionem lib. II et III.
De baptismo.		Adv. Iudaeos.
De exhortatione castitatis.		De testimono animae.
	a. 211. De corona militis.	
De fuga.		Adv. Marcionem lib. IV.
		De carne Christi.
		De resurrectione.
		De anima.
		De fato.
		Adv. Marcionem lib. V.
De virginibus velandis.		
De pudicitia (218—222)		
De monogamia „		
De ieiunio „		

Hanc habete ex ecclesiasticarum litterarum thensauro, quem ad recludendum nostra aetas novare curam et acuere industriam coepit, stipem conlatam ad sacrum officium, quod iam auspicamur more patrito et avito. Indicenda enim sunt sollemnia, quibus REGIS AVGVSTISSIMI DIVI FRIDERICI GVILELMI III universitatis huius conditoris munificentissimi pia memoria recolatur. Pietatis autem nostrae interpres existet vir amplissimus doctissimusque ALFREDVS DOVE professor publicus ordinarius. Qui finita sollemni oratione iudicia quinque ordinum de litterarum certaminibus anno praeterito initis renuntiabit atque novas novis certaminibus quaestiones proponet. Hisce igitur sollemnibus ut prompto lubentique animo intersint, curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus cum regios tum urbicos spectatissimos, et quicumque rebus nostris artiumque et litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia ex officio rogamus invitamus.